

XA.64  
.534

*Property of*  
*The Boston Public Library*  
*as a gift from*  
**Whitney Fd.**

No XA.64.534





A E S O P I  
P H R Y G I S E T  
A L I O R V M F A  
B V L A E,


*Quorum nomina sequenti pagella uidere licet.*

A C C E S S I T H V I C  
E D I T I O N I

Alterum Laurentij Abstemij Hecatomy=thium, hoc est, centum fabularum libellus alter, nunque hactenus in Gallia excusus.

V I R T U T E D V C E,

C O M I T E W O R T V N A.



A P V D S E B . G R Y P H I V M  
L V G D V N I ,  
1534.

I T O B H A

FABVLARVM QVAE HOC  
in libro continentur interpretes atq; autores.

	Pagina
Laurentius Valla.	49
Guilielmus Gudanus.	93
Hadrianus Barlandus.	117
Guilielmus Hermannus.	133
Rimicius.	147
Erasmus.	189
Angelus Politianus.	193
Petrus Crinitus.	194
Ioannes Antonius Campanus.	195
Plinius Secundus Nouocomensis.	196
Aulus Gellius.	196
Nicolaus Gerbelius Phorcensis.	200
Laurentius Abstemius.	203
Huius nunc alterum accessit hecatomythium: hoc est, cen tum fabularum libellus, nunquam hactenus in Gallia excusus.	249



Clar. Whitney Fund  
Aug 5, 1964

14023A

# A E S O P I F A

B V L A T O R I S V I V A,

Maximo Planude composita, è Græ  
co Latina facta.



E R V M humanarum naturam persecuti sunt & alij, & poste=ris tradiderunt. Aesopus uero ui=detur non absque diuino afflatu cum moralem disciplinam attigis=set, magno interuallo multos co=rum superasse. etenim neque defi=niendo, neq; ratiocinando, neque ex historia, quam ante ipsius ætatem tulit tempus, admonendo, sed fabulis peni=tus erudiendo, sic audientium uenatur animos, ut pudeat ratione præditos facere, aut sentire, quæ neque aues, neque uulpes: & rursus non uacare illis, quibus pleraque bruta tempore prudenter uacasse finguntur: ex quibus aliqua pericula imminentia effugerunt, aliqua maximam utilitatem in opportunitatibus consecuta sunt. Hic igitur, qui uitam suam philosophicæ reip. imaginem proposue=rat, & operibus magis quam uerbis philosophatus, ge=nus quidem traxit ex Ammorio oppido Phrygiæ, co=gomento Magnæ, sed fortuna fuit seruus. Quare & magnopere mihi uidetur Platonis illud in Gorgia pul=chrè simul & uere dictum, Plerunque enim hæc, inquit, contraria inter se sunt, natura simul, ac lex. Nam Aeso=pi animum natura liberum reddidit: sed hominum lex,

corpus in seruitutem tradidit. Potuit tamen ne sic quidem animi libertatem corrumpere. Sed quamvis ad res uarias, & in diuersa loca transferret corpus, à propria tamen sede illum traducere non potuit. Fuit autem non solum seruus, sed & deformissimus omnium suæ ætatis hominum. nam acuto capite fuit, pressis naribus, depresso collo, prominentibus labris, niger, unde & nomen adeptus est, (idem enim Aesopus, quod Aethiops) uentrus, ualbus, & incuruus, fortasse & Homericum Thersites turpitudine formæ superans. Hoc uero omnium in eo pessimum erat, tardiloquentia, & uox obscura simul, & inarticulata. Quæ omnia etiam uidentur seruitutem Aesopo parasse. Etenim mirum fuisset, si sic indecenti corpore potuisset seruientium retia effugere. Sed corpore sanè tali, animo uero solertissimo natura extitit, & ad omne commentum felicissimus. Possessor igitur ipsius tanquam ad nullum domesticum opus commodum, ad fodendum agrum emisit. Ille uero digressus alacriter operi incumbebat. Profecto uero aliquando & hero ad agros, ut inspectionem operarum faceret, agricola quidam ficos egregias decerptas dono tulit. ille uero frumentus delectatus pulchritudine, Agathopodi ministro (hoc enim erat nomen puero) seruare iussit, ut sibi post balneum apponaret. Cum uero ita euenisset, atque Aesopus ob quandam necessitatem ingressus esset in domum, occasione capta Agathopus consilium huiusmodi conservo cuidam offert, Impleamur, si placet, ficubus heus tu: & si herus nosler has requisiuerit, nos contra Aesopum testificabimur ambo, quod in domum ingressus sit, ficasque

ficusque clam comedenter : & super uero fundamento, uidelicet quod domum ingressus sit, multa mendacia struemus. neque enim quicquam poterit unus contra duos, præsertim cum sine probationibus ne mutire quidem audeat. Viso uero hoc, ad opus accesserunt, & ficus deuorantes, dicebant in singulis cum risu, Væ tibi infelix Aesope. Cum igitur herus rediisset à lauacro, & ficus petijisset, audiisset autem quod Aesopus eas comedisset, Aesopum cum ira iubet uocari, & uocato, ait, Dic mihi ò execrande, ita me contempsisti, ut in penarium ingredereris, & paratas mihi ficus comedeleris ? Ille audiebat quidem, & intelligebat, loqui autem nullo modo poterat ob linguae tarditatem. Cum iam uerberandus esset, & delatores uehemcentiores instarent, procumbens ad heri pedes, ut sustineret se parum, orabat. Cum autem currisset, & tepidam aquam attulisset, eam babit : & digitis in os demissis, humorem solum reiecit. nondum enim cibum attigerat. Orabat igitur ut idem & accusantes facerent, quo manifestum fieret, quis nam ficus dissipasset. Herus autem ingenium hominis admiratus, sic facere & alios iussit. Illi autem deliberauerant bibere quidē aquam, non tamen demittere in guttur digitos, sed per obliqua maxillarum eos circunferre. Vix dum autem biberant, cum tepida illa aqua, nausea potis inducta, effecit ut spon te fructus redderetur. Tunc igitur ante oculos posito maleficio ministrorum & calumnia, herus iussit eos nudos flagris cædi. illi uero cognoverūt manifeste dictum illud, Qui in alterum dolos struit, sibi inscius malum fabricat.

Sequēti uero die hero in urbem reuecto, Aesopo uero

\* 3 fodiente,

fodiente, quemadmodum iussus fuerat, sacerdotes Dianaes, siue alij quipiam homines cum à uia aberrassent, Aesopum nacti, per Iouem hospitalem obsecrabant hominem, ut quæ in urbem duceret, uiam ostenderet. Ille cum sub umbram arboris uiros adduxisset prius, & frugalē apposuerat cœnā, inde & dux factus ipsis, in quam quærebant uiam induxit. Illi autem tum ob hospitalitatem, tum quòd dux eorum fuisset, mirum in modum uiro deuincti, manus in cœlum eleuarunt, & precibus benefactorē remunerati sunt. Aesopus uero reuersus, in' que somnū lapsus ob assidueum laborem & æstum, uisus est uidere Fortunā astantem sibi, & solutionem linguae sermonis' que cursum, & eam, quæ fabularum est, doctrinam, largiri. Statim igitur excitatus ait, Papæ ut suauiter dormiui: sed & pulchrum somnium uidere uisus sum. ecce, expedite loquor, bos, asinus, rastrum. Per deos intelligo unde mihi bonum accesserit hoc, quoniam enim pius fui in hospites, propitium numen consecutus sum. Ergo benefacere, bona plenum est spe. Sic igitur Aesopus lætatus facto, rursum cœpit fodere. Præfecto agri (Zenā erat ipsi nomen) ad operarios profecto, & horum unum, quoniam leuiter errauerat in opere, uirga uerberante, Aesopus statim exclamauit, Homo cuius gratia eum, qui nullam iniuriam fecit, sic uerberas? & omnibus temere plagas ingeris quotidie? omnino renuntiabo hæc hero. Zenā autem hæc ab Aesopo audiens, obslupuit non mediocriter, secumq; ait, Quòd Aesopus loqui cœperit, nulla mihi utilitas erit: præuertam igitur ipse, & accusabo eum coram domino, antequam hoc ipsum faciat, & me herus procuratione priuet.

priuet. His dictis, in urbem uectus est ad dominum. Cæterum turbatus cum accessisset, Salve, inquit, here. Ille uero, Quid perturbatus ades, inquit? Et Zenas, Res quædam monstrofa in agro contigit. At herus, Nunquid arbor præter tempus fructum tulit s; aut iumentum aliquod præter naturam genuit? Et ille, Non ita, sed Aesopus, qui antea erat mutus, nunc loqui cœpit. Ad hæc herus, Sic tibi nihil boni fiat hoc existimanti monstrum esse. Ille autem, Sanè, inquit: nam quæ in me contumeliose dixit, sponte prætereo here: in te autem & deos intolerabiliter conuiciatur. His ira percitus herus, Zena ait, Ecce tibi traditus est Aesopus, uende, dona, quod uis de eo fac. Cum Zenas autem in potestate sua accepisset Aesopum, quodque in eum haberet imperitum ei renuntiasset: ille, Quodcumque uisum tibi fuerit, inquit, effice.

Accidit autem, cum uir quidam iumenta uellet emere, & propterea per agrum illum iter faceret, Zenam rogauit. Ille, Iumentum, inquit, mihi uendere non licet: sed mancipium masculum, quod si uis emere, adest. Cum uero mercator iussisset ostendi sibi seruulum, & Zenas Aesopum accersisset, mercator uidens ipsum, & cachinatus, Vnde tibi, inquit ad Zenam, hæc olla? utrum truncus est arboris, an homo? hic nisi uocem haberet, fermè uideretur uter inflatus. Quare mihi iter interrupisti huiuscce piaculi gratia? His dictis, iter suum prosequebatur. Aesopus uero insecutus ipsum, Mane inquit. Ille autem conuersus, Abi, inquit, à me sordidissime canis. Aesopus autem, Dic mihi, cuius rei causa huc uenisti? Et mercator, Sceleste, ut aliquid boni emerem: te quod inutilis &

marcidus sis, non egeo. Aesopus contrà, Eme me, & si  
 qua est fides, multum te iuuare potis sum. Ille, Quia in  
 re à te iuuari possem, cum sis odium penitus? Et Aeso=  
 pus, Nonne adsunt tibi pueruli domi turbulenti, & flen=   
 tes: his præfice me paedagogum: omnino eis pro larua  
 ero. Ridens igitur de hoc mercator, inquit Zenæ, Quan  
 ti malum hoc uendis uas? Ille uero, Tribus, inquit,  
 obolis. Mercator autem statim tres obolos soluit, dicens,  
 Nihil expendi, & nihil emi. Cum igitur iter fecissent,  
 ac peruenissent in suam domum, pueruli duo, qui adhuc  
 sub matre erant, Aesopo uiso perturbati exclamauerunt.  
 Aesopus autem statim mercatori inquit, Habes meæ pol=   
 licitationis probationem. Ille uero ridens ingressus, in=   
 quit, Saluta conseruos tuos. Introgressum autem, ac sa=   
 lutantem uidentes illi, Quod nam malum nostro hero,  
 inquiunt, contigit, ut seruulum adeò deformem emerit?  
 Sed ut uidetur, pro fascino domus hunc emit. Non  
 multo uero post, mercator ingressus apparari res ad iter  
 seruis iussit, quod postridie in Asiam profecturus esset.  
 Illi igitur statim uasa distribuebant. At Aesopus roga=   
 bat leuißimum onus sibi concedi tanquam nuper empto,  
 & nondum ad hæc ministeria exercitato. His autem &  
 si nihil tollere uelit ueniam præbentibus, ille non opor=   
 tere dixit omnibus laborantibus, se solum inutilem esse.  
 His quod attollere uellet permittētibus, huc & illuc cum  
 circumspexisset & uasa congregasset diuersa, saccos, &  
 stramenta, & canistros, unum canistrum panis plenum,  
 quem duo baulare debebant, sibi imponi iubet. Illi autem  
 ridentes, & nihil esse stultius uili hoc scelesto inquietes,  
 qui cum

qui cum paulo ante leuissimum postularat tollere onus,  
 nunc omnium grauiſſimum elegiſſet: oportere tamen deſiderium eius explere: ſublatum caniſtrum imposuerunt  
 Aesopo. Ille uero humeris onere grauatis ~~buc~~ & il-  
 luc dimouebatur. Hunc uidens mercator, admiratus eſt,  
 & inquit, Aesopus cum ad laborandum promptus ſit,  
 iam ſuum preium persoluit, iumenti enim onus ſuſtu-  
 lit. Cum uero hora prandij diuertiſſent, Aesopus iuſſus  
 panes diſpensare, ſemiuacuum caniſtrum multis come-  
 dentibus fecit. Vnde etiam poſt prandium leuiore onere  
 facto alacrius incedebat. Verum uespere quoque illi,  
 quod diuerterant pane diſtributo, poſtera die uacuo o-  
 mnino in humeros ſublato caniſtro, primus omnium  
 ibat, ut & conſeruis, qui hunc animaduerterent pree-  
 currentem dubium faceret, utrum putridus eſſet Aeso-  
 pus, an quis aliis: & illi cum cognouiffent eum eſſe  
 admirarentur, quod denigratus homuncio ſolertiſſus o-  
 mnibus feciſſet, quoniam qui facile abſumerentur panes,  
 ſuſtuliſſet, cum illi ſtramenta, & reliquam ſupelleſtilem  
 baiuarent, que ea non ſit natura, ut ſic abſumatur. Mer-  
 cator itaque cum eſſet Ephesi, alia quidem mancipia cum  
 lucro uendidiſſet: remanferunt autem ei tria, Grammati-  
 cus, Cantor, & Aesopus. Cum uero quidam ex fami-  
 liaribus ei fuafiſſet, in Samum ut nauigaret, tanquam ibi  
 cum maiore lucro diuendituro ſeruulos, perſuadet. Cum  
 autem mercator perueniſſet in Samum, Grammaticum  
 quidem & Cantorem, utrunque noua ueste indutum ſta-  
 tuit in foro: ſed Aesopum quoniā nulla ex parte poterat  
 ornare (totus enim erat mendosus) ueste ex ſacco ei circ-

cumposita, medium inter utrumque constituit, ut & ui-  
dentes stuperent, dicētes, Vnde hæc abominatio, quæ &  
alios obscurat? Aesopus autem quamuis à multis morde-  
retur, stabat tamen audacter in ipsos intuens. Xanthus ue-  
rò philosophus habitans tunc Sami, profectus in forum,  
& uidens duos quidem pueros cum ornatu astantes, me-  
dium uerò horum Aesopum, admiratus est mercatoris  
commentum, nanque turpem in medio collocauerat, ut  
appositione deformis, pulchriores seipſis adolescentuli  
apparerent. Propius autem astantis, percontatus est Can-  
torem cuias esset. Et is, Cappadox. Tum Xanthus,  
Quid igitur scis facere? Hic, Omnia. Atque ad hæc Aeso-  
pus risit. Discipuli uerò, qui cum Xantho unā erant, ut  
uiderunt ipsum risisse, & ostendisse dentes, statim ali-  
quod monstrum uidere arbitrati sunt. Vno autem dicen-  
te, Certe hernia est, dentes habens: Alio uerò, Quid  
nam uidens, risit? Alio, non risisse, sed riguisse: omnibus  
autem uolentibus cognoscere cur risisset, unus ipsorum  
accedens, Aesopo inquit, Cuius rei gratia risisti? Et is,  
Abscede marina ouis. Illo uerò confuso funditus eo ser-  
mone, repenteq; secedente, Xanthus inquit mercatori,  
Quanto precio Cantor? Illo autem mille obolis respon-  
dente, ad alterum iuit, immenso auditio pretio. Atqui &  
hunc rogante philosopho, cuias nam foret, & auditio  
Lydum esse, rursusq; rogante, Quid ergo scis facere?  
& illo dicente, Omnia, iterum risit Aesopus. Ex  
scholasticis autem quodam dubitante, Quidnam hic ad  
omnes ridet? Alius ei dixit, Si uis & tu marinus hircus  
uocari, roga. Xanthus autem rursus rogauit mercato-  
rem,

rem, Quanto pretio Grammaticus? Et ille, Tribus  
millibus obolorum, respondit. Aegre tulit philosophus  
immensum pretium, & auersus discedebat. Scholasticis  
autem potentibus, an nō placuerint ei seruuli, Næ inquit,  
sed decretum est, non emere mancipium pretiosum. Vnus  
autem ipsorum dixit, Si hæc ita se habent, igitur tur=   
pem hunc quin emas, nulla lex uetat: idem enim & hic  
ministerium afferet, & nos pretium huius impendemus.  
Ad hæc Xanthus ait, Ridiculum esset, uos soluisse pre=   
tium, me autem seruum emisse: alioqui, & uxorcula mea  
munditiæ studiosa, non ferret à deformi seruulo seruiri si=   
bi. At scholastici rursus dixerunt, In promptu est sen=   
tentia, ne pareatur fœminæ. Tunc philosophus, Facia=   
mus prius periculum, an sciat aliquid, ne & pretium  
incassum pereat. Adiens igitur Aesopum, Gaudie, in=   
quit. Et ille, Num nam tristabar? Et Xanthus, Saluto  
te. Ille autem, Et ego te. Xanthus unà cum alijs in=   
expectato, & prompto responso stupefactus rogauit,  
Cuias es? Ille, Niger. Et Xanthus, Non hoc inquam,  
sed unde natus sis. Et is, Ex uentre matris meæ. Non  
hoc dico, sed in quo loco natus sis. Et ille, Non renun=   
tiauit mihi mater mea, utrum in sublimi loco, an in humili.  
Et philosophus, Quid uero facere nosti? Ille, Ni=   
hil. Et Xanthus, Quomodo? Quoniam hi omnia nosse  
professi sunt, mihi autem reliquerunt nihil. Atque his  
scholastici uehementer delectati, Per diuinam prouiden=   
tiam, dixerunt, ualde bene respondit: nullus enim est  
homo, qui omnia norit: & propterea scilicet risit. Rur=   
fus igitur Xanthus inquit, Vis emam te? Et Aesopus,  
Me hac

Me hac in re consultore eges? Vtrum tibi uidetur me=lius, aut emere, aut non, fac: nullus enim quidquam ui fa=ctit, hoc in tua positum est uoluntate: & si uolueris, **cru**=menæ ianuam aperiens, argentum numera: sin uero mi=nime, ne cauillare. Rursus igitur scholastici inter se dixe=rūt, Per deos, superauit præceptorem. Xanthus uero cum dixisset, Si emero te, fugere uoles? ridens Aesopus ait, Hoc si uoluero facere, nullo modo utar te consultore, ut & tu paulo ante, me. Et Xanthus, Bene dicis, sed defor=mis es. Et ille, Menter in spicere oportet o philosophhe, & non faciem. Tunc mercatorem adiens Xanthus, in=quit, **Q**uanti hunc uendis? Et ille, Ut uituperes meas mer=ces ades, quoniam te dignis omisis pueris, deformem hūc eligis: alterum horum eme, hunc autem auctarium acci=pe. Et Xanthus, Non certe, sed hunc. Et mercator, Sexa=ginta obolis eme. At scholastici confestim collatos expo=suerunt: Xanthus autem possedit. Itaque publicani uendi=tione cognita, aderant indignantes, quis uendiderit, quis emerit: at cum puderet utrunque se pronuntiare propter uilitatem pretij, Aesopus stans in medio exclamauit, Qui uenditus est, ego sum: qui emit, hic: qui uendidit, ille. si ue=ro ipsi tacuerint, ego igitur liber sum. Publicani uero diffusi gaudio, donato Xantho uectigali, abierunt. Aeso=pus igitur sequebatur in domum euntem Xanthum. Cum meridianus autem aestus esset, Xanthus inter deambu=landum pallium trahendo mungebat. Quod uidens Ae=sopus, uestibus illius apprehensis retro, ad seipsum tra=xit, atque inquit, **Q**uām celerrime me uende, quoniam fugiam. Et Xanthus, **Qu**amobrem? **Q**uoniam, inquit,

non

non possem tali seruire hero. si enim tu, qui herus es, & neminem times, tamen relaxationem non præbes naturæ, sed cundo mingis: si obtigerit seruum me ad aliquod miti ministerium, & inter eundum tale quid exigat natura, necesse omnino fuerit uolando cacare. Et Xanthus, Hoc te turbat? tria mala uolens euitare, cundo mingo. Et ille, Quæ? Ethic, Stanti mihi, caput perussisset sol: pedes uero, terræ solum torridum: lotij autem acrimonia, olfactum offendisset. Tunc Aesopus, Vade, persuasisti mihi. Postquam autem domi fuerunt, Xanthus iubens Aesopu manere ante uestibulum, quoniam elegantiusculam esse sibi mulierculam sciebat, neque oportere illico tales turpitudinem ei ostendi, antequam aliquis ipsi urbana diceret: ipse ingressus dicit, Domina non etiam posthac obijcies ministerium quod mihi tuæ pedissequæ præstant: iam enim & ego puerum tibi emi, in quo uidebis pulchritudinem, qualem nunquam uidisti, qui & iam ante uestibulum stat: & ille quidem hæc. Pedissequæ autem uera existimantes, quæ dicta fuerant, inter se non mediocriter contendebant, cui nam ipsarum sponsus nuper emptus futurus sit. Xanthi uero uxore intrò uocari nouitium iubente mancipium, una ex alijs magis accelerans, & ut arrabonem uocationem arripiens, nouitium seruum egressa accersebat. Et illo dicente, Ecce ego adsum, stupefacta, Tu, inquit, es? Et hic, Næ. Et illa, Sine inuidia, ne ingrediaris intrò, omnes alioqui fugient. Alia tamen egressa, eumq; intuita, Cædatur tua, inquit facies, & huc ingredere, sed ne appropinques mihi. Ingressus stetit coram domina. quæ cum eum uidiisset,

disset, oculos auertit ad uirum, inquiens, Vnde mihi hoc  
 monstrum attulisti? abijce ipsum à facie mea. Et ille, Sa-  
 tis tibi domina: ne meum submorde nouitium seruum.  
 Hæc autem, Videris Xanthe me perosus, aliam inducere  
 uelle: & forte dum pudet dicere mihi ut tua domo ab-  
 scedam, canicipitem mihi hunc apportasti, ut eius ægre  
 latura ministerium, fugiam. Da igitur mihi dotem meam,  
 atque ibo. Ad hæc Xantho increpante Aesopum tanquam  
 in itinere urbana quædam locutum de mictu inter eun-  
 dum, nunc uero mulieri nihil dicentem, Aesopus ait,  
 Projice ipsam in barathrum. Et Xanthus, Tace scelus,  
 an nescis me hanc, ut meipsum, amare? Et Aesopus, Amas  
 mulierculam? Et ille, Admodum quidem, fugitiue. Ad  
 hæc Aesopus, pulsato medio pede, ualde exclamauit,  
 Xanthus philosophus uxorius est. Et uersus ad suam do-  
 minam ait, Tu ò domina uelles philosophum emisse ti-  
 bi seruum iuuensem, bono habitu, uigentem, qui te nu-  
 dam in balneo spectaret, & tecum luderet in dedecus  
 philosophi? O' Euripides, aureum ego tuum inquam os,  
 talia dicens, Multi impetus fluctuum marinorum, mul-  
 ti fluminum, & ignis calidi flatus: dura res paupertas,  
 dura & alia infinita: tamen nihil æque durum ut mulier  
 mala. Tu uero ò domina philosophi uxor à pulchris adu-  
 lescentulis tibi ut ministretur noli, ne quo pacto contu-  
 meliam uiro tuo influxeris. Illa hæc audiens, cum nihil  
 contradicere posset, Vnde uir, inquit, pulchritudinem  
 hanc uenatus es? sed & loquax putridus hic uidetur, &  
 facetus, reconciliabor igitur ei. Tum Xanthus, Aesope,  
 recōciliata est tibi tua hera. Et Aesopus ironice loquens,

Magna

Magna res, inquit, placare mulierem. Et Xanthus, Ta=ce posthac, emi enim te ad seruiendum, non ad contradicendum. Postera die Xanthus Aesopo sequi iusso, ad hortum quendam iuit empturus olera. Cum uero olitor fasciculum olerum messuisset, accepit Aesopus. Xantho autem soluturo iam hortulano pecuniam, hortulanus, Si=ne, inquit, here, unum problema a te desidero. Et Xan=thus, Quidnam? Tum ille, Quid ita, ut quae a me plan=tantur olera, quamuis diligenter et fodiantur, et irri=gentur, tardum tamen suscipiunt incrementum: quibus uero spontanea e terra pullulatio, et si nulla cura adhi=betur, ijs tamen celerior germinatio? Xanthus igitur (licet philosophi quæstio foret) cum nihil aliud sciret di=cere, A` diuina prouidentia et hoc inter cætera guber=nari inquit. Aesopus uero (aderat enim) risit. Ad quem philosophus, Rides' ne, an derides? Et Aesopus, Deri=deo, inquit, sed non te, uerum qui te docuit. Quæ enim a diuina prouidentia fiunt, haec a sapientibus uiris solu=tionem sortiuntur: oppone itaque me, et ego soluam problema: interim itaque Xanthus conuersus inquit oli=tori, Minime omnium decens est o amice, me, qui in tantis auditorijs disceptauerim, nunc in horto soluere so=phis mata: puer autem huic meo, qui consequentia multo rum callet, si proposueris, solutionem consequeris quæ=siti. Et olitor, Hic turpis literas nouit? o infelicitatem. Sed narra o optime, si quæsiti declarationem nosti. Et Aeso=pus, Mulier, inquit, cum ad secundas nuptias iuerit, libe=ris ex priore uiro suscepitis, si uirum quoque inuenerit filios ex priore uxore genuisse, quos ipsa filios adduxit,

horum

horum mater est : quos inuenit penes uirum , horum est nouerca : multam igitur in utrisque ostendit differentiam : nam quos ex se genuit , amanter & accuratè nutrire perseuerat , alienos uero partus odit , & inuidia utens , illorum cibos diminuens , suis addit filijs .illos enim natura quasi proprios amat : odio autem habet , qui uiri sunt , quasi alienos . Eodem modo & terra , eorum quæ ipsa ex se genuit , mater est : quæ autem tu plantas , horum est nouerca . huius rei gratia , quæ sua sunt , ut legitima magis nutrit , ac fouet : à te autem plantatis ut spurijs non tantum alimenti tribuit . His delectatus olitor , Credideris mihi , inquit , quod me graui solicitudine ac garrulitate leuaris . Abi gratis ferens olera , & quoties tibi his opus est , tanquam in proprium hortum uadens accipe . Post dies aliquot rursus in balneum proficiscitur Xanthus . Qui- busdam autem amicis ibi inuentis , ad Aesopum loquitur , ut in domum currat , & lentem in ollam iunctam coquat . Ille abiens , granum unum lantis in ollam iactum coquit . Xanthus ergo una cum amicis lotus uocauit hos compransuros , præfatus tamen & quod tenuis esset futura cœna , utpote ex lente , quodq; non oporteret uarietate ferculorum amicos iudicare , sed probare uoluntatem . His uero profectis , & in domum ingressis , Xanthus inquit , Da nobis à balneo bibere Aesope . Illo ue-ro ex defluxu balnei accipiente & tradente , Xanthus fœtore repletus , Hem quid hoc , inquit , Aesope ? Et ille , à balneo , ut iussisti . Xantho autem præsentia amicorum iram compescente , & pelum sibi apponi iubente , Aesopus pelui apposita stabat . Tunc & Xanthus ,

Non

Non lauas? Tum ille, Iussum est mihi ea facere quæ iusseris: tu nunc non dixisti, In iace aquam in peluim, & laua pedes meos, & pone soleas, & quæcunque deinceps. Ad hæc igitur amicis Xanthus ait, Num enim seruum emi? nullo modo, sed magistrum. Discubentibus itaque ipsis, & Xantho Aesopum rogante, an cocta sit lens, cocleari acceptum ille lentis granum tradidit. Xanthus accipiens, ac ratus gratia faciendi periculum coctionis lentem accepisse, digitis conterens ait, Bene cocta est, affer. Illo solum aquam uacuante in scutellæ, & apponente, Xanthus, Vbi est lens, inquit? Et is, Accepisti ipsam. Et Xanthus, Vnum granū coxisti? Tum Aesopus, Maxime: lentem enim singulariter dixisti, non lentes, quod pluratiue dicitur. Xanthus ergo prorsus consilij inops, Viri socij, ait, hic ad insaniam me rediget. Deinde conuersus Ad Aesopum ait, Sed ne uidear improbe serue amicis iniurius, abiens eme pedes porcinos quatuor, & perceleriter coctos appone. Festinus hoc peragit: ac dum pedes coquerentur, Xanthus iure uolens uerberare Aesopum, cum esset in re aliqua ad usum occupatus, unum ex pedibus ex olla clanculum auferens, occulit. Paulo post autem & Aesopus ueniens, & ollam perscrutatus, ut tres solos pedes uidit, cognouit insidias sibi aliquas factas: & accurrens in stabulum, saginati porci unum ex quatuor cultro amputans, & pilis nudans in ollam iecit, ac coxit cum cæteris. Xanthus uero ueritus ne Aesopus subreptum pedem non inueniens, fugeret: rurus in ollam ipsum iniecit. Aesopo autem in patinam pedes euacuante, ac quinque his apparentibus, Xanthus,

Quid hoc, inquit, Aesope? quomodo quinque? Et ille,  
 Duo porci quot habent pedes? Et Xanthus, Octo. Tum  
 Aesopus, Sunt ergo hic quinque, et saginatus porcus  
 inferius tripes pascitur. Xanthus admodum moleste fe-  
 rents, amicis inquit, Non ne paulo ante dixi, quod celerri-  
 me hic me ad insaniam rediget? Et Aesopus, Here nosti  
 id, quod ex additione et subductione in quantitatem se-  
 cundum rationalem summam colligitur, non esse errorem?  
 Xanthus igitur nullam causam honestam inueniens uerbe  
 randi Aesopum, quievit. Postridie autem ex scholasticis  
 quidam sumptuosam apparans coenam, cum alijs discipu-  
 lis et Xanthum inuitauit. Coenantibus igitur, Xanthus  
 partes ex appositis accepit electas, et Aesopo ponere statim  
 dedit. Abi, inquit ei, benevolaeque meae haec trade. Ille uero  
 decedens secum cogitabat, Nunc occasio est ulcisci meam  
 dominam, propterea quod me cum nouitius ueni, cauillata  
 est: uidebit igitur an hero meo bene uelit. Profectus ita-  
 que in domum, sed in uestibulo: et hera accita spor-  
 tulam partium coram ipsa posuit, ac inquit, Hera, haec  
 omnia herus misit, non tibi, sed benevolae. Cumque canem  
 uocasset, atque dixisset, Veni Lycaena, comedere, tibi enim  
 herus haec iussit dari: particulatum cani omnia proiecit.  
 At post hoc ad herum regressus, et rogatus an bene-  
 uolae dederit omnia, Omnia, inquit, et coram me omnia  
 comedit. Illo uero iterum rogante, Et quid nam edens  
 ait? Et is, mihi quidem nihil quidquam dixit, sed secum  
 tibi gratias habebat. Vxor tamen Xanthi eam rem ca-  
 lamitosam esse arbitrata, nempe accusata, quod uel cani-  
 culae benevolentia in virum cederet, ac subdens scese non  
 amplius

amplius in posterum cohabitaturam cum eo, ingressa cubiculum plorabat. Potu autem procedente, et quæstionibus alternis propositis, ac uno ex ipsis ambigente, quando futura esset ingens inter homines turbatio, Aesopus ponè stans, ait, Cum resurrexerint mortui, repetentes quæ possederint. Et scholastici ridentes dixerunt, Ingeniosus est nouitius hic. Alio uero rursus proponente, quamobrem ouis ad cædem tracta, non exclamat, sus autem quammaxime uociferetur, Aesopus rursus ait, Quoniam ouis assueta mulgeri, aut etiam uelleris onus depone, tacite sequitur, ideo etiam pedibus arrepta, et ferru uidens, nihil graue suspicatur, sed illa usitata et solita uidetur passura: sed sus, ut quæ neque mulgetur, neque tondetur, neque nouit ad horum aliquid trahi, sed carnes suas tantum usui esse, merito uociferatur. His sic dilectis, discipuli rursus laudauerunt ipsum uersi in risum. Finito conuiuio, et Xantho in domum reuerso, et uxore pro more aggresso alloqui, illa ipsum auersata, inquit, Ne mihi propinquus fias, da mihi dotem meam, et abibo: non enim manserim tecum posthac: tu autem abiens cani adulare, cui misisti partes. Et Xanthus stupefactus ait, Omnino mali mihi aliquid rursum attulit Aesopus. Et uxori inquit, Domina, num me poto, tu ebria es? cui partes misi? non ne tibi? Non per Iouē, mihi quidem minime, inquit illa, sed cani. Xanthus Aesopo accito inquit, Cui dedisti partes? Et ille, Beneuolæ tuæ. Et uxori Xanthus, Nihil accepisti? Et illa, Nihil. Et Aesopus, Cui enim iussisti, here, partes dari? Et ille, Beneuolæ meæ. Et Aeso

pus cane uocata, Hæc tibi, inquit, bene uult: nam mulier  
 & si bene uelle dicatur, tamen minima quaque recula of-  
 fensa contradicit, conuiciatur, abit: canem tamen uerbe-  
 rato, expellito, non tamen discedet, sed oblita omnium,  
 statim benignè blanditur & cum gratia hero. Oportet  
 bat igitur dicere here, Vxori has partes fert, & non,  
 beneuolæ. Et Xanthus, Vides domina non meam esse cul-  
 pam, sed eius qui tulit? tolera itaque, nec deerit mihi oc-  
 casio, qua eum uerberem. Illa uero non credente, uerum  
 clam ad suos parentes regressa, Aesopus inquit, Non re-  
 cete dixi o here, canem tibi magis bene uelle, quam meam  
 heram? Diebus autem aliquot præteritis, & uxore ir-  
 reconciliata manente, & Xantho affines quosdam ad  
 ipsam, ut reuerteretur domum, mittente: illa, cum cede-  
 re nollet, ac proinde Xanthus in mœrore esset, Aesopus  
 adiens eum, inquit, Ne te afflictas here, ego enim eam  
 cras uenire sponte & citissime faciam ad te. Accepta pe-  
 cunia, Aesopus in forum proficiscitur: ac emptis anseri-  
 bus, & gallinis, & alijs quibusdam ad conuiuium ido-  
 neis, ambulans, domos circuibat: transfibat igitur & ante  
 domum parentum heræ suæ, ignorare simulans illorum  
 esse, & in ea heram manere. Cumq; in quendam ex do-  
 mo illa incidisset, rogabat, an aliquid ad nuptias utile do-  
 mestici possent sibi uendere. Ille autem rogitat, Cui est o-  
 pus his? Xantho, inquit, philosopho: cras enim uxori co-  
 pulandus est. Eo uero ascende, & uxori Xanthi hæc,  
 ut audiuit, renuntiante, illa cursim, & propere ad Xan-  
 thum illico pergit, contra ipsum clamat, dicens inter alia  
 & hæc, Non me uiuente, o Xanthe, alteri uxori cōiungi  
 poteris.

poteris. Sicq; mansit in domo per Aesopum, quemadmodum propter illum discesserat. Rursus post dies aliquot, inuitans Xanthus discipulos ad prandium, Aesopo inquit: I, eme optimum quodque et prestantissimum. Ille inter eundum secum dicebat, Ego docebo herum non stulta mandare. Cum linguas igitur solum suillas emisset, et apparasset discubentibus, linguam assatam singulis cum salsa mento apposuit. Discipulis laudantibus ut philosophicum primum ferculum, propter linguae ad locutionem ministerium: rursus elixas Aesopus linguas apposuit: atque iterum etiam ferculo alio, atque alio petito, ille nihil aliud quam linguas proponebat. Discipuli autem eodem subinde cibo repetito indignati, Quousque linguas, inquiunt? quippe nos per diem linguas edendo, nostras doluimus. Xanthus inquit iratus, Nihil aliud tibi est Aesope? Et is, Non certe. Tum ille, Non ne mandaui tibi sordidiissime homule, optimum quodque, et prestantissimum obsonari: Et Aesopus, Multas habeo tibi gratias, quod me philosophis presentibus increpaueris. Quid igitur fuerit lingua melius et prestantius Lingua nihil melius. in uita? omnis enim doctrina, et philosophia per ipsam monstratur ac traditur, per ipsam dationes, acceptiones, foras, salutationes, benedicentiae, musa omnis: per ipsam celebrantur nuptiae, ciuitates eriguntur, homines seruantur. Et, ut breuiter dicam, per ipsam tota uita nostra consistit: nihil ergo lingua melius. Ob haec discipuli Aesopum reete loqui dicentes, aberrasse uero magistrum, abidere singuli in domum. Postridie rursus accusantibus ipsis Xanthum, ille respondebat, non secundum uoluntatem suam

hæc fuisse, sed inutilis serui nequitia, hodie autem permuta-  
 bit cœnā, & ipse præsentibus uobis cum eo colloquar. Ac  
 uocato eo, uilissimum quodq; & pessimū obsonari iubet,  
 quod discipuli secum forent cœnaturi. Ille autem nihil mu-  
 tatus, rursus linguas emit, & apparatas discumbentibus  
 apposuit. Hi inter se submurmurabant, Porcinæ rursus  
 linguae. Et mox iterum linguas apposuit. Et ualde iterū,  
 atque iterum. Xanthus autem iniquo animo ferēs, Quid  
 hoc, inquit, Aesope? num rursus mandaui tibi optimum  
 quodq; & præstantissimū obsonari, ac non potius uilissi-  
 um quodque, & pessimum? Ille autem, Et quid unquā  
 peius lingua ò here? non' ne urbes per ipsam corruunt: nō  
 homines per ipsam interficiuntur: non mendacia omnia,  
 & maledicta, & periuria per ipsam perficiuntur: non nu-  
 ptiae, & principatus, & regna per ipsam euertuntur: nō,  
 ut summatim dicam, uita omnis per ipsam infinitorum er-  
 rorum referta est? Hæc Aesopo dicente, quidam ex una  
 discumbentibus, Xantho inquit, Hic, nisi ualde te ipsum  
 munieris, non dubia erit insaniæ causa tibi: qualis enim  
 forma, talis & anima. Et Aesopus ad eum, Tu mihi uide-  
 ris, ò homo prauus quidam, & curiosus esse, herum irri-  
 tans contra seruum. Xanthus autem ad hæc, causam cupi-  
 ens uerberandi hominem, Fugitiue, inquit, quoniam cu-  
 riosum dixisti amicum, ostende mihi incuriosum hominē.  
 adductum. Egressus igitur postridie in plateā Aesopus,  
 & eos, qui præteribant, circumspiciens, uidet quendam  
 in loco quodam diu sedentem, quem iudicas secum otio-  
 sum & simplicem esse, accedens inquit, herus te inuitat  
 secum pransurum. Rusticus ille nihil sciscitatus, neque  
     quis

quis esset à quo inuitaretur, ingressus est in domum: & cum ipsis calceis ut erant uiles, discubuit. Rogante autem Xantho, Quis hic? Aesopus ait, Incuriosus homo. Et Xanthus uxori in aurem dicit ut sibi obsequeretur, & quod ipse iussit faceret, ut plagas Aesopo honesta ratione inferret. Deinde coram omnibus inquit, Domina aquam in pellum injice, & pedes hospitis laua. Cogitabat enim secum omnino hospitem recusaturum: Aesopum uero, quod ille curiosus esset, uerberibus cæsum iri. Illa igitur iacta aqua in pellum, ibat pedes hospitis lotuра. At ille cognoscens hanc esse domus dominam, secum loquebatur, Honorare me omnino uult, atque huius rei gratia suis manibus pedes meos uult lauare, cum ancillis queat hoc mandare. Extensis igitur pedibus, Laua, inquit, hera: ac lotus discubuit. Xantho autem iubente uinum hospiti dari quod biberet, rursus ille considerabat secum, ipsos antè oportere bibere: sed quia sic ipsis uisum est, non opus mihi haec inquirere. Accipiens igitur bibit. Prandentibus uero, & ferculo quodā hospiti apposito, atq; illo suauiter comedente, Xanthus cocum, quod male hoc condiuisset, criminabatur, atque etiam nudum uerberibus afficiebat. Rusticus autem secum dicebat, Ferculum quidem optime coctum est, & nihil ei deest, quo minus recte paratum sit, si autem absque causa uult suum seruum flagellare paterfamilias, quid ad me? Xantho autem ægrefrente, neque iucunde affecto, quoniam nihil hospes curiose inquirebat, tandem placentæ allatæ sunt. Hospes uero tanquam nunquam placentam gustasset conuolvens, & accipiens, ipsas ut panes comedebat. Xanthus

autem pistore accusauit, dixitq; ei, Cur nam o execrāde, absque melle, ac pipere placenta præparasti? Ille inquit, Si cruda est, o here, placenta, me uerbera: si uerò non ut oportebat, præparata est, nō me, sed herā accusa. Et Xanthus, si à mea hoc factū est uxore, uiuā ipsam nūc comburā. Atq; iterū uxori innuit, ut sibi obsequeretur propter Aesopū. Cū igitur iussisset sarmenta in mediū afferri, pyram succedit, & arreptā uxorem prope pyrā egit, ita ut crederetur ipsam in ignem esse immisurus: differebat autē aliquo modo, & circūspiciebat rusticū si quo modo assurgens, à tali audacia prohibere ipsum aggrederetur. Sed is secū rursus cōsiderabat, Cū nulla adsit causa quid nam sic irascitur? Deinde inquit, O paterfamilias, si hoc iudicas oportere fieri, expectame parūper dum digressus adducā & ipse meā ex agro uxorē, ut ambas simul comburas. Hæc à uiro Xanthus audiēs, & huius synceritatē, ac generositatem admiratus, Aesopo inquit, Ecce uerè homo incuriosus, habes accepta præmia uictoriæ o Aesope: satis est tibi de cætero, dein uerò libertatem tuam assequēris. Postridie autem Xanthus iussit Aesopo in balneas ire, & scrutari, an multa adesset turba, uelle enim lauari. Abeunti autem Prætor occurrēs, & Xanthi ipsum esse cognoscens, interrogauit quo'nam iret. Quod cum se is negasset scire: existimans Prætor interrogationem suam floccipendi, in carcerem ipsum abduci iubet. Cum igitur abduceretur Aesopus, clamauit, Vides o Prætor quemadmodū recte responderim: quæ enim non expectaui, & occurri tibi, & in carcerem iam trahor. Tum Prætor stupefactus respōsi promptitudine, sinit abire. Aesopus

quis autem profectus in balneas, multam turbam in ipsis  
 intuitus est, sed & lapidem uidet in medio ingressu posi-  
 tum, in quem singuli ingredientes, & egredientes offendebant,  
 hunc autem unus quispiam ingrediens ut lauare= tur, sublatum transposuit. Reuersus igitur ad herum, Si  
 uis, inquit, here lauari, unū hominē in balneis uidi. Xan-  
 thus profectus, ac multitudinem lauantium uidens, dixit,  
 Quid hoc, o Aesope? non' ne unum hominem dixisti te ui-  
 disse? Aesopus, Certe, inquit: nam lapidem illum (manu  
 ostendens) ante ingressum positum reperi, in quē ingre-  
 dientes omnes & exeuntes offendebant: unus uero qui-  
 dam antequam illideret, eleuatum transposuit. Illum igi-  
 tur unum hominē dixi uidisse: pluris faciens quam alios.  
 Tum Xanthus, Nihil apud Aesopum tardum est ad re-  
 sponsionem. Cum aliquando Xanthus ex latrina redi-  
 ret, interrogauit Aesopum, Quid ita homines post caca-  
 tionem, uentris excrements aspiciunt? Ille ait, Antiquis  
 temporibus uir quidam delicatus uiuens multo tempore  
 præ delicijs in latrina sedebat, ut & sua illic immorans  
 cacauerit præcordia. Ex illo tempore igitur timentes cæ-  
 teri homines, uentris inspiciunt sordes, ne quo modo &  
 ipsi hoc patientur. Sed tu here, ne time: nō enim sunt tibi  
 præcordia. Die autem quodam celebrato conuiuio, Xan-  
 thus cū alijs philosophis discumbebat: & potu iam inua-  
 lescente, crebræ quæstiones inter hos uersabantur: atque  
 Xantho incipiēte turbari, Aesopus adstantis ait, Here, Bac-  
 chus tria possidet temperamenta, primum uoluptatis, se-  
 cundum ebrietatis, tertium contumelie. Vos igitur poti-  
 iam, & lætati, quæ reliqua sunt, obmittite. Tum Xan-  
 thus

thus iam ebrius, ait, Tace, inferis consule. Et Aesopus,  
Igitur & in infernum distrahere. Ex discipulis autem  
quidam subebrium iam Xanthum uidens, & ut in uni=  
uersum dicam, temulentū, O' præceptor, inquit, potest' ne  
homo aliquis ebibere mare? Et ille, Admodum quidem:  
ego enim ipse hoc ebibam, Discipulus, At si non poteris,  
quam nam tibi multam irrogabo? Tum Xanthus, Domū  
meam depono totam. Atque interim depositis anulis pa=  
cta firmauerunt, tum discesserunt. Postridie diluculo, ex=  
citato Xantho, ac faciem lauante, anulum inter lauandum  
nō uidit. Aesopum de eo interrogat. Ille, Nescio, inquit,  
quid nam factum fuerit: sed unum scio tantum, quod à do=  
mo decidcris tua. Tum Xanthus, Quamobrem? Aeso=  
pus, Quoniam heri ebrius pepigisti mare ebibere, atque  
in pactis deposuisti & anulum. Et is, Tum quomodo ma=  
ius fide opus potero? uerū te nunc rogo, si qua co=  
gnitio, si qua prudentia, si qua experientia, præsto sis, ac  
opem porridge, ut uincam, aut pacta dissoluam. Aesopus,  
autem, Vincere quidem haud licet, sed ut soluas pacta,  
efficiam. Cum hodie rursus in unum conueneritis, nullo  
modo uidearis timere, uerū quæ pactus es ebrius, ea=  
dem sobrius quoq; dic. Iube itaque stramenta, & men=  
sam in littore poni, & pueros paratos cum poculis por=  
rigere tibi marinam aquam. Cum autem omnem uide=  
ris turbam concurrisse ad spectaculum, ipse discubbens  
iube ex mari impleri poculum: atque hoc accepto. omni=  
bus audiētibus, dic pactis præfecto, Quænā apud nos fœ=  
dera iniuiimus? Atque is respondebit tibi, quod pepigeris  
mare ebibere. Conuersus igitur tu ad omnes, sic dicio,

Viri

Viri Samij, scitis & uos penitus quamplurimos fluvios  
 prorumpere in mare, ego autem pepigi mare solum ebi-  
 bere, non etiam exeuntia in ipsum flumina, hic itaq; scho-  
 lasticus prius coerceat flumina omnia, deinde statim ma-  
 re solum ebibam, Xanthus autem futurā ex hoc pacti so-  
 lutionem cognoscens, uehementer lætatus est. Populus igi-  
 tur ad littus confluit ad spectaculum eius, quod facien-  
 dum erat: cumq; Xanthus quæ edocetus fuerat ab Aeso-  
 po fecisset, ac dixisset, Samij admirati, acclamauerunt, ac  
 ipsum laudarunt. Scholasticus autem, Xanthi pedibus  
 obuolutus, & uictum se confitebatur, & pacta rogabat  
 dissolui, quod & fecit Xanthus exorante populo. Pro-  
 fectis autem ipsis in domum, Aesopus adiens Xanthum,  
 inquit, Per omnem uitam tibi gratificatus sum, non' ne di-  
 gnus sum ô here consequi libertatem? At Xanthus obiur=  
 gando ipsum, repulit, dicens, An nolo ipse hoc facere? sed  
 exi ante uestibulū, & speculare: & si uideris duas corni-  
 ces, renuntia mihi: bonum enim augurium hoc, quòd si  
 unā uideas, hoc malum. Accedens, igitur Aesopus, cum  
 duas fortè ita cornices super quadam uidisset arbore si-  
 dentes, accedens Xantho renūtiauit. Exeunte autem Xan-  
 tho, altera harum euolauit: & Xanthus alteram solam  
 uidens ait, Non' ne dixisti mihi execrāde duas uidisse te?  
 Et is, Ita, sed altera euolauit. Tū Xanthus, Deerat tibi fu-  
 gitiae me ut deluderet? Iubet igitur eū denudatū uerbera-  
 ri. At dum Aesopus uerberabatur, profectus quidā inuita-  
 uit ad cœnam Xanthum, Aesopo inter uerbera exclaman-  
 te, Hei mihi misero: ego enim qui duas uidi cornices, uer-  
 beror: tu uero, qui unam tantum, in conuiuium abis:  
 uanum

uanum itaque fuit augurium. Tum Xanthus solertiam eius admiratus, cessare iubet uerbera. Non multis autem post diebus philosophos & rhetores cum inuitasset Xanthus, iussit Aesopo ante uestibulum stare, & nullum indoctum ingredi sinere, sed doctos solos. Hora autem prādij clauso uestibulo, Aesopus intus sedebat. Ex inuitatis autem quodam profecto, & ianuā pulsante, Aesopus intus ait, Quid mouet canis? Ille putans canis uocari, iratus discessit, sic ergo unus quisq; uenies reuertebatur iratus, putans iniuria affici, Aesopo eodē omnes interrogante. Cū autem unus ex ipsis ostium pulsasset interrogatus quid moueret canis, respōdit, Caudam & aures. Aesopus ipsum rectè iudicans respondisse, aperta ianua ad herū duxit, ac inquit, Nullus philosophus ad conuiuum tuū uenit ò here, præter hūc solum. Xanthus igitur ualde tristatus est, deceptum se existimās ab inuitatis. Postridie cū uenis sent inuitati ad literariū ludum, accusabant Xanthum, dicentes, Ut uideris, ò præceptor, cupiebas quidē ipse contemnere nos: sed ueritus, putridum in uestibulo cōstituisti Aesopum, ut nos iniuria afficeret, & canes uocaret. Et Xanthus, Insomnium' ne id est, an uera res? Tum illi, nisi stertimus, uera res. Cōfestim accersitus Aesopus, & rogatus cū ira, cuius rei gratia amicos ignominiose amolitus esset, ait, Non tu mihi herc mandasti, ne quē uulgarē ac indoctum hominem permittere in tuum conuenire conuiuum, sed solos doctos? Tum Xanthus, Et quales hi, non' ne docti? Et Aesopus, nullo pacto: ipsis etenim pulsantibus ianuam, & me intus rogitante quid nam moueret canis, nullus eorum intellexit sermonem. Ego igitur

cum

cum indocti omnes uiderentur, nullum ipsorum introduxi, nisi hunc, qui docte respondit mihi. Sic igitur cum Aesopus respondisset, recte omnes dicere ipsum confirmarunt. Ac post dies rursus aliquot Xanthus sequente Aesopo, ad monumenta accessit, et quae in arcis erant epigrammata legens, se ipsum delectabat. At Aesopus in quadam ex ipsis inscalptas literas has uidente, α. Ε. Δ. Ο. Ε. Θ. Χ. ostendenteque Xantho, atque rogante, an hasce nouisset, diligenter ille scrutatus, non potis fuit harum inuenire declarationem, ac fasus est dubitare omnino. Tum Aesopus, Si per hanc columnulam, o here, thesaurum ostendam tibi, qua re me remunerabis? Et is: Cōfide, accipies enim libertatem tuam, atque dimidium auri. Tunc Aesopus distans à cippo passus quatuor, et fodiers, accepit thesaurum, et tulit hero, dicens, Da mihi promissum, cuius gratia inuenisti thesaurum. Et Xanthus, Non, si et ego sapiam, nisi et sensum literarum mihi dixeris: nam scire hoc multo re inuenta mihi preciosius. Et Aesopus, Qui thesaurum infudit hic, ut uir eruditus literas inscalpsit has, quae et inquiunt, αἰτιάς. Εἰ ματα. Ιλ., τέαρα. ο, ὄρυξ. ε, εὐφόρεις. θ, θεούρον, χ, χρυσός. Xanthus autem, Quia ita solers es, et astutus, non accipies tuam libertatem. Et Aesopus, Renuntiabo dandum aurum o domine regi Byzantinorum: illi enim reconditum est. Et Xanthus, Vnde hoc nosti? Et ille, Ex literis, hoc enim inquiunt, α, από- Ιδ est, Redd- σσ. Ε, εαπλεύ. Δ, διονυσίω. ο, ὅν εὔρεις. θ, θεούρον. χ, χρυσός. ιδιον Dionysio inuenisti the Xanthus audiens regis esse aurum, Aesopo ait, Accep- rum aureum pto dimidio lucri, taceto. Et ille, non tu mihi nunc hoc præbes, sed qui aurum hic infudit, ac quemadmodum, audi:

Id est, Acceptū audi: hoc enim dicunt literæ, α, ἀνελόμυνοι. β, Καδίσαρτες. δ, εүнесте diuidite σιέλεδε. ο, ὄρ.ε, ευρετε. θ, θηθωνρον. χ, χρυσίς. At Xanthus, Ve  
 quem inuenisīs  
 thesaurū aureū. nias inquit, in domum, ut et thesaurum diuidamus, et tu  
 libertatem accipias. Profectis ergo, Xanthus timens Aeso  
 pi loquacitatem, in carcerem ipsum iussit inicci. Cū ab=  
 duceretur Aesopus, sic inquit, Huiusmodi inquit sunt  
 promissa philosophorum? non solum enim non accipio  
 meam libertatem, sed et in carcerem iubes inicci me. Xan  
 thus igitur iussit ipsum solui, et ait ei, Nimirum recte in=  
 quis, ut parta libertate, uehementior sis contra me accusa  
 tor. Tum Aesopus dixit, Quodcunq; mibi potes facere,  
 fac malū: omnino uel inuitus liberabis me. Ea uero tempe  
 state huiusmodi res Sami obtigit. Cū publice festū celebra  
 retur, repente aquila deuolās, et publicū rapiēs anulum,  
 in serui sinum demisit. Itaque Samij perterriti, cum ob  
 hoc prodigiū incidissent in multum mœrorem, in unū co=  
 acti, cœperūt rogare Xanthum, quod primus ciuiū esset,  
 et philosophus, ut sibi iudiciū prodigij manifestaret. At  
 ille omnino ambigens, tempus petijt. Profectus igitur do=  
 mum, tristis erat admodum, et solicitudinibus immersus,  
 ut qui nihil iudicare posset. Aesopus uero, mœrore Xan=  
 thi cognito, adiens ait, Qua causa, o here, sic perseueras  
 tristari? Mihi committe, uale dicto mœrori. Cras in fo=  
 rum profectus dic Samijs, Ego neque prodigia soluere di  
 dici, neque augurari: sed puer mihi est multarum rerum  
 peritus, ipse uobis quæsitum soluet. Et si ipse consecutus  
 fuero solutionem here, tu gloriam reportabis, tali utens  
 seruo: sin minus fuero consecutus, mihi soli erit dedecus.  
 Persuasus igitur Xanthus, postero die in theatrum pro= fectus,

fectus, & astans in medio, iuxta monita Aesopi concionatus est ijs, qui conuenerant. Illi uero statim rogabat Aesopum acciri. Qui cum uenisset, staretq; in medio, Samij facie ipsius consyderata, deridentes clamabant, Hæc facies prodigium soluet? ex deformi hoc quid unquam boni audiemus? Ita ridere cœperunt. At Aesopus extenta manus silentio petito, inquit, Viri Samij, quid faciem meam cauillamini? non faciem, sed animum respicere oportet, saepe enim in turpi forma bonum animum natura imposuit. An uos exteriorem testarum formam consyderatis, ac non potius interiorem uini gustum? Hæc ab Aesopo cum audissent omnes, dixerunt, Aesope si quid potes, dic ciuitati. Ille igitur audacter ait, Viri Samij, quoniam fortuna, quæ contentionis studiosa est, gloriæ certamen proposuit domino & seruo, si seruus inferior uideatur domino, uerberibus cæsus abibit, sin autem præstantior, nihil minus & sic uerberibus lacerabitur. Si uos per meam libertatem, loquendi mihi fiduciam indulseritis, ego nunc uobis intrepide quæsitum narrabo. Tūc populus uno ore clamabat ad Xanthum, Libertate dona Aesopum, obtempera Samijs, largire libertatem eius ciuitati. At Xantho non annuenti, Prætor ait, Xanthe si tibi nō placet auscultare populo, ego hac hora Aesopum libertate donabo, & tunc tibi æqualis fuerit. Tunc igitur Xanthus necessario libertatem reddidit, & præco clamauit, Xanthus philosophus liberum Samijs largitur Aesopum, atque interim finem sermo Aesopi accepit, dicentis Xantho, Vel inuitus me libertate donabis. Aesopus itaque libertatem consecutus, stans in medio, ait, Viri Samij, aquila ut scitis, regina auium

diuum est. Quoniam autem imperatorum anulum hæc  
 raptum demisit in serui sinum, hoc significare uult, quen-  
 dam ex ijs, qui nunc sunt, regem, uelle uestram libertatem  
 in seruitutem redigere, atque sancitas leges irritas facere.  
 His auditis Samij mœrore repleti sunt. Sed non multo  
 post tempore & literæ à Croeso Lydorum rege uene-  
 runt ad Samios, iubentes eis ut in posterum tributa sibi  
 penderent: si minus obtemperassent, ut ad pugnam se pa-  
 rarent. Consultabant igitur uniuersi. Timuerunt enim  
 subditi fieri Croeso, conducibile tamen esse & Aesopum  
 consulere. Et ille Consultus, ait, Cum principes uestri sen-  
 tentiam dixerint de tributo dando obtemperandum esse  
 regi: consilium iam minime, sed narrationem uobis affe-  
 ram, & scietis quid conduceat. Fortuna duas uias osten-  
 dit in uita, alteram libertatis, cuius principium accessu dif-  
 ficile, sed finis planus: alteram seruitutis, cuius principiū  
 facile, & accessibile, finis autem laboriosus. His auditis,  
 Samij exclamauerunt, Nos cum simus liberi, serui esse  
 gratis nolumus, & oratorem infecta pace remiserunt.  
 His ergo cognitis, Croesus decreuit bellum in Samios mo-  
 uere. Sed legatus retulit, Non poteris Samios debellare  
 quandiu est apud eos Aesopus, & consilia suggerit. Po-  
 tes autem magis, ait, o rex, legatis missis, petere ab ipsis  
 Aesopum, pollicitus eis & gratias alias relaturum, &  
 remissionem iussorum tributurum. tunc fortè poteris eos  
 superare. Croesus his persuasus, legato misso dedi sibi pe-  
 tebat Aesopum. Samij autem hunc tradere decreuerunt.  
 Quo cognito, Aesopus in media cōcione stetit, ac inquit,  
 Viri Samij, & ego permulti facio ad regis pedes profi-  
 cis

cisci: uolo autem uobis fabulam dicere. Quo tēpore ani= malia inter se loquebantur, lupi bellum ouibus intulerunt. Vnā uerò cū ouibus canibus præliātibus ac lupos arcenti= bus, lupi legato missō dixerūt ouibus, si uoluerint uiuere in pace, & nullū suspicari bellū, ut canes sibi traderent. Ouibus ob stultitiam persuasis, & canibus traditis, lupi & canes dilacerarunt, & oves facilime occiderūt. Samij igitur fabulæ sensu cognito, decreuerunt apud se detinere Aesopum. Ille uerò non tulit, sed cū legato una soluit, & ad Croœsum se cōtulit. Profectis autē ipsis in Lydiā, Rex ante se stantem Aesopum uidens, indignatus est, dicens, Vide qualis homuncio impedimento mihi ad tantam insu= lam subigendam fuit. Tum Aesopus, Maxime rex, nō ui, neque necessitate coactus ad te ueni, sed sponte adsum, su= stine autem me parumper audire. Vir quidam cum locu= stas caperet, occideretq; , cepit & cicadam, cum & illam uellet occidere, inquit cicada: O' homo ne me frustra oc= cidas: ego enim neque spicam lædo, neque alia in re qua= piam iniuriate afficio: motu uero, quæ in me sunt, mem= branularū, suauiter canto, delectans uiatores: præter igi= tur uocem in me amplius nihil inuenies. Ille his auditis, permisit abire. Et ego itaque, ô rex, tuos pedes attingo, ne me sine causa occidas, non enim possum iniuria quen= quam afficere, sed in uili corpore generosum loquer ser= monem. Rex autē miratus simul & miseratus ipsum, ait, Aesope, non ego tibi largior uitam, sed fatum, ergo quod uis, pete, & accipies. Et ille, Rogo te, ô rex, reconciliare Samijs. Cumq; rex dixisset, reconciliatus sum, prōcidens quando cōscri= pserit Aesopus ille in terram, gratias ei agebat. Et post hæc suas conscri= tabulas.

psit fabulas, quas in hunc usque diem extantes apud regem reliquit. Acceptis autem ab ipso literis ad Samios, quod Aesopi gratia eis reconciliatus fuerit, atque numeribus multis, nauigauit in Samum. Sami igitur hunc uidentes, et coronas ei intulerunt, et choreas eius gratia constituerunt. Ille autem et regis literas legit, et ostendit quod sibi donatam a populo libertatem, libertate rursus remuneratus fuerit. Post hanc uero ab insula decedens, circuibat orbem ubique cum philosophis disputando. Profectus et in Babylonem, et suam ipsius doctrinam demonstrando, magnus apud regem Lycerum euasit. Illis enim temporibus reges inuicem pacem habentes, atque delectationis gratia quæstiones uicissim sophisticas scribendo mittebant: quas qui soluerent, tributa pacta a mittentibus accipiebant, qui uero non, et qualia praæbebant. Aesopus igitur quæ mittebantur problemata Lycero intelligens, dissoluebat, et clarum reddebat regem, et ipse Lyceri nomine altera itidem regibus remittebat: quæ cu remanerent insoluta, tributare rex quam plurima exigebat. Aesopus autem cum non genuisset filios, nobilem quendam Ennum nomine adoptauit, atque ut legitimum filium regi allatum, commendauit. Non multo autem post tempore Ennius cum adoptantis concubina rem habuit: hoc sciens Aesopus expulsurus erat domo Ennum, qui in illum ira correptus, epistolamque fictam ab Aesopo scilicet ad eos, qui sophismatis cum Lycero certabant, quod ipsis paratus esset adhaerere magis, quam Lycero, regi dedit Aesopi signatam anulo. Rex et sigillo credens, atque inexorabili ira percitus, statim Herippo

mippo iubet, nulla examinatione facta, tanquam prodi-  
 torem occideret Aesopum. At Hermippus & amicus  
 fuerat Aesopo, & tunc se amicum ostendit: in sepulchro  
 enim quodam nemine sciente occultauit hominem, & se-  
 creto nutriuit. Ennus autem regis iussu omnem Aesopi  
 administrationem suscepit. Quodam post tempore  
 Nectenabo rex Aegyptiorum audiens Aesopum mor-  
 tuum esse, mittit Lycero statim epistolam, architectos  
 sibi mittere iubentem, qui turrim ædificant, quæ neque  
 cœlum, neque terram attingat, & aliquem qui semper  
 respondeat ad omnia quæcumque rogauerint: quod si fe-  
 cisset, tributa exigeret: sin minus, solueret. His lectis Ly-  
 cerus mœrore affectus est, cum nullus ex amicis posset  
 quæstionem de turri intelligere, Rex uero & colum-  
 nam sui regni dicebat interijsse Aesopum. Hermippus  
 autem dolore regis ob Aesopum cognito, adiit regem,  
 & uiuere illum renuntiauit, addiditq; ipsius causa  
 Aesopum non peremisse, sciens quod pœniteret ali-  
 quando regem sententiæ. Rege autem uehementer his  
 lœtato, Aesopus sordens, ac squalens totus, adductus  
 est. Cumq; rex ut eum uidit, illachrymasset, atque ut  
 lauaretur, aliaq; cura afficeretur, iussisset, Aesopus post  
 hoc & de quibus accusatus fuerat, causas confuta-  
 uit: ob quæ cum rex Ennum esset occisurus, Aeso-  
 pus ei ueniam petijt. Post hæc autem rex Aegyptij epi-  
 stolam Aesopo dedit legendam. At ille statim solu-  
 tione cognita quæstionis, risit, ac rescribere iussit: cum  
 hyems præterijsset, missum iri & qui turrim essent ædi-  
 ficaturi, & aliquē qui responderet ad rogata. Rex igitur

Aegyptios legatos remisit, Aesopo autē pristinam admissi-  
strationem tradidit omnem, debitum ei tradens & En-

num. At Aesopus acceptum Ennum nulla in re tristitia

affecit, sed ut filium, rursus receptū inter cætera his ad-

Præcepta quæ monuit uerbis, Fili ante omnia cole deum. Regē honora.

dedit Aesopus Inimicis tuis terribilem te ipsum præbe, ne te cōtemnant:

amicis facilem, & communicabilem, quò longe benevolentiores tibi sint. Item inimicos male habere precare &

esse pauperes, ne te possint offendere: at amicos in omnibus bene ualere uelis. Semper uxori tuæ bene adhære, ne

alterius uiri periculum facere uelit: leue enim mulierum

est genus, ac delinitum adulazione minus male cogitat.

Velocem ad sermonem ne posside auditum. Linguæ con-

tinens esto. Bene agentibus ne inuide, sed congratulare:

inuidens enim te ipsum magis offendes. Domesticorum

tuorum satage, ut te non solum ut dominum timeant, sed

etiam ut benefactorem uenerentur. Ne pudeat discere

semper meliora. Mulieri non unquam credas secreta: nam

semper armatur, quo modo tibi dominetur. Quotidie in

diem crastinum reconde, melius enim mortuum inimicis

relinquere, quam uiuentem amicorum indigere. Salutato

facile, qui tibi occurrunt, sciens & catulo caudam panem

comparare. Bonum esse ne poeniteat. Susurronem uirum

eijce domo tua, nam quæ à te dicuntur, ac fiunt, alijs

communicabit. Fac, quæ te non mœstificent. Contingen-

tibus ne tristare. Neque praua ineas unquam consilia, ne-

que mores malorū imiteris. His ab Aesopo Ennius admoti-

nus, tum sermone, tum sua conscientia, ut sagitta qua-

dam percussus animum, paucis post diebus è uita discessit.

Aesopus

Aesopus autem aucupes omneis accersiuit , atque aquilarum pullos quatuor ut caperent, iubet : sic itaque captos nutriuit , ut dicitur , ac instruxit ( cui rei non magnam fidem adhibemus) ut pueros in sportis ipsis appensis gestando in altum uolarent, atque ita obedientes pueris essent , ut quocunque illi uellent, uolarent, siue in altum, siue in terram deorsum: præterito uero hyemali tempore, ac Vere arridente, cum ad iter omnia parasset Aesopus, et pueros accepisset, et aquilas, decepsit in Aegyptum , multa imaginatione , et opinione ad stupefactionem illorum hominum usus . Sed Nectenabo audito adesse Aesopum , Insidijs circunuentus sum , inquit amicis, quia intellexeram Aesopum mortuum esse. Postridie autem iussit rex ut omnes magistratus candidis circumdarentur uestibus, ipse δράπιον induit, et coronam, ac gemmatam κίταρην . Cumq; sedens in alto solio , Aesopum introduci iussisset , Cui me assimilas (ingredienti inquit) Aesope, et eos qui mecum sunt: Et ille, Te quidem, Soli uerno: qui uero te circumstant, maturis aristis. Et rex admiratus ipsum, et donis eum prosecutus est. Postero autem die rursus rex candidissimam togam indutus , amicis purpureas iussis accipere, ingredientem Aesopum iterum rogauit . Et Aesopus, Te , inquit, comparo Soli: hos autem qui stant circum, radijs solaribus. Et Nectenabo, Puto nihil esse Lycerum præ meo regno. Et Aesopus subridens, Ne facile de illo sic loquere, o rex: nam genti uestrum regnum collatum, instar solis lucet : at si Lycero comparetur , nihil aberit quin splendor hic, tenebræ appareant . Et Nectenabo apposita uerborum responsione

stupefactus, Attulisti nobis, ait, qui turrim ædificent? Et ille, Parati sunt, si modo ostendas locum. Postea egressus extra urbem rex in planiciem, ostendit dimensum locum. Adductis igitur Aesopus ad ostensos loci angulos quatuor, quatuor aquilis una cum pueris per sacculos appensis, ac puerorum manibus datis fabrorum instrumentis, iussit euolare: illi uero sublimes, Date nobis, clamabant, lapides, date calcem, date ligna, & alia, quæ ad ædificationem apta sunt. Sed Nectenabo uisit pueris ab aquilis in altum sublati, ait, Vnde mihi uoluntates homines? Et Aesopus, Sed Lycerus habet: tu autem homo cum sis, uis cum æquo dijs rege cōtendere? Et Nectenabo, Aesope uictus sum: percontabor autem te, tu respondere. Et ait, Sunt mihi fœminæ hic equæ, quæ cum audiuerint eos, qui in Babylone sunt, equos hinnientes, statim cōcipiunt. Si tibi ad hoc est doctrina, ostende. Et Aesopus, Respōdebo tibi cras, ô rex. Profectus uero, ubi hospitabatur, felem iubet pueris comprehendendi, & captū publice circunduci uerberando. Aegyptij autem illud animal colentes, cum sic ipsum male tractari uiderent, concurrent, & felem è manu uerberantium eripuerunt, ac rem celeriter renuntiarunt regi. Qui uocato Aesopo, Nesciebas, inquit, Aesope, tanquam deum à nobis coli felem? quare igitur hoc fecisti? At ille, Lycerum regem iniuria affecit, ô rex, præterita nocte hic felis. Gallum enim eius occidit pugnacem, & generosum, præterea & horas ei noctis nuntiantem. Cui rex, non pudet te mentiri Aesope? Quonam modo una nocte felis ab Aegypto iuit in Babylonem? Tum ille subridendo inquit, Et quo modo, ô rex,

Baby

Babylone equis hinnientibus, hic equæ fœminæ concipiunt? Rex autem his auditis, prudentiam Aesopi felicem esse dixit. Post hæc autem cum adciuisset ex Heliopoli uiros quæstionum sophisticarum peritos, atque de Aesopo cum eis disputasset, inuitauit unà cum Aesopo ad conuiuium. Discubentibus igitur ipsis, quidam Heliopolita inquit Aesopo, Missus sum à deo meo quæstionem quandam rogaturus te, ut ipsam solueres. Cui Aesopus, Mentiris:deo enim ab homine nihil opus est discere:tu autem non solum te ipsum accusas, sed & Deum tuum. Alius rursus ait, Est templum ingens, & in eo columnæ, duodecim urbes continens, quarum singulæ triginta trabibus fulciuntur, quas circuncurrunt duæ mulieres. Tum Aesopus ait, Hanc quæstionem apud nos soluent & pueri. Templum enim est hic mundus. Columna, annus. Vrbes, menses. Et trabes, horum dies. Dies autem & nox, duæ mulieres, quæ uiciissim sibi succedunt. Postridie conuocatis amicis omnibus, Nectenabo inquit, Propter Aesopum hunc debebimus tributa regi Lycero. At ex his unus ait, Iubebimus ei quæstiones dicere nobis ex ijs, quæ neque scimus, neque audiuimus. Et ille, Cras hac de re uobis respondebo. Decedens igitur, & composito scripto in quo continebatur, Nectenabo confitens mille talenta Lycero debere, mane reuersus Regi scriptum reddidit. Regis autem amici priusquam aperiretur scriptū, omnes dixerunt, Et scimus hoc, & audiuius, & uerè scimus. Et Aesopus, Habeo uobis gratiam restitutionis causa. At Nectenabo confessione debiti lecta ait, Me nihil Lycero debete, omnes uos testificamis-

ni? Illi mutati dixerunt, Neque scimus, neque audiimus. Et Aesopus, Si hæc ita se habent, solutum est quæsitum. Ad hæc Nectenabo, Felix est Lycerus, talem in regno suo doctrinam habens. Ergo pacta tributa tradidit Aesopo, atque in pace remisit. At Aesopus in Babylonem profectus, narravit Lycero acta in Aegypto omnibus, et tributa reddidit. Lycerus autem iussit statuam auream Aesopo origi. Non multo autem post tempore, Aesopus in Græciam decreuit nauigare: compositio neq; cum rege facta, discessit, iuratus ei prius, proculdubio redditurum se in Babylonem, atque illic reliquum uitæ uicturum. Peragratim autem Græcis urbibus, et sua doctrina patefacti, peruenit et Delphos, uerum Delphi differentem quidem audiuerunt libenter, sed honore, et obseruantia cum affecerunt nulla. Is autem ad eos suscipiens ait, Viri Delphi, succurrit mihi ligno uos compare, quod in mari fertur: illud etenim procul uidentes dum fluctibus agitatur, magni precij esse existimamus, postquam autem proxime aduenit, uilissimum appareat. Et ego itaq; cum procul essem ab urbe uestra, ut eos, qui existimatione digni sunt, uos admirabar, nunc autem ad uos profectus, omnibus, ut ita dixerim, inueni inutiliores, sic deceptus sum. Hæc cū audiuisserent Delphi, et timerent ne aliquo modo Aesopus ad alias urbes accedens male de se diceret, decreuerunt dolo hominem occidere. Auream igitur phialā ex eo, quod apud se erat, facello Apollinis accipientes, clam in Aesopi absconderunt stratis. Cū Aesopus uero ignoraret quæ ab ipsis dolo facta fuerant, egressus ibat in Phocidem. At Delphi aggressi, et detinenter ipsum

tes ipsum, percontabantur ut sacrilegum. Illo autem ne-  
gante aliquid fecisse eiusmodi, illi ui stratis cuolutis aureā  
inuenerunt phialam, quam etiam acceptam omnibus ciui-  
bus ostenderunt non cum paruo tumultu. Igitur Aesopus  
cognitis illorum insidijs, rogauit eos, ut solueretur. Hi  
autem non solum non soluerunt, sed ut sacrilegum in  
carcerem quoque iniecerunt, morte eius suffragijs de-  
creta. Aesopus autem cum nulla astutia à mala hac for-  
tuna liberari posset, seipsum in carcere lugebat sedens.  
Ex familiaribus autem ipsius quidam, Damas nomine, ad  
ipsum ingressus, & uidens eum sic lamentari, causam  
rei rogauit. Ille ait, Mulier quædam cum recenter suum  
uirum sepeliuisset, quotidie profecta ad tumulum, plo-  
rabat. Arans autem quidam non procul à sepulchro, amo-  
re captus est mulieris, & derelictis bobus, iuit & ipse  
ad tumulum, ac sedens unà cum muliere plorabat. Cum  
illa rogaret cur nam & ipse sic lugeret: Quoniam &  
ego, inquit, decentem mulierem sepeliui, & posteaquam  
plorauero, mœsticia leuor. Illa autem, Mihi id ipsum  
similiter accidit. Et ille, Si igitur in eadem incidimus  
mala, cur nam inuicem non coniungimur? ego etenim  
amabo te, ut illam: & tu me rursus ut tuum uirum. His  
persuasit mulieri, & conuenerunt. Interim autē fur pro-  
fectus, & boues soluens, abegit. Ille autem reuersus, non  
inuentis bobus, & plangere & lugere uehementer in-  
stituit. Profecta est & mulier: & lamentantem inueniens  
inquit, Iterum ploras? Cui ille, Nunc, ait, uerè ploro:  
& ego itaque multis euitatis periculis, nunc uere fleo,  
solutionem mali necunde inueniens. Post hæc affuerunt

**Mus & rana** in præcipitium. Ille autem eis dicebat, Quando collo-  
quebantur animalia bruta, mus ranæ amicus factus, ad  
cœnam eam inuitauit, & abducta in penarium diuitis,

ubi multa edulia erant, Comede, inquit, amica rana. Post  
epulationem & rana murem in suam inuitauit cœna-  
tionem. Sed ne defatigere, inquit, natando, filo tenui  
tuum pedem meo alligabo. Atque hoc facto saltauit in pa-  
ludem. Ea autem urinata in profundum, mus suffocaba-  
tur, & moriens ait, Ego quidem per te morior, sed me  
uindicabit maior. Supernatante igitur mortuo mure in  
palude, deuolans aquila hunc arripuit, unâ cum eo etiam  
appensam ranam: sicq; ambos deuorauit. Et ego igitur,  
qui ui per uos morior, habebo ultorem. Babylon enim  
& Græcia omnis meam à uobis exigent mortem. Del-  
phi tamen ne sic quidem pepererunt Aesopo. Ille autem  
in Apollinis configuit facellum, sed ij & illinc extra-  
xerunt irati, & in præcipitium rursus traxerunt. Ae-

**Lepus & sopus** cum abduceretur, dicebat, Audite me Delphi. Le-  
pida.

pus aquila insectante in lustrum scarabei configuit, ro-  
gans ut ab eo seruaretur. Scarabeus autem rogabat aqui-  
lam ne occideret supplicem, obtestans ipsam per maxi-  
mum louem, saltem ne despiceret paruitatem suam. Illa  
uerò irata, ala percutiens scarabeum, leporem raptum  
depasta est. Scarabeus autem cum aquila uolauit, ut ni-  
dum eius disceret, ac iam profectus oua eius deuoluta di-  
rupit. Illa cū graue existimaret si quis hoc ausus fuisset,  
& in altiore loco secundo nidificasset, & illic rursus  
scarabeus ijsdem hanc affecit: Aquila autem inops consi-  
lijpn ei

lij penitus, ascendit ad Iouem, (in eius enim tutela esse dicitur) & in ipsius genibus tertiam fœturam ouorum posuit, deo ipsa commendans, & supplicans ut custodiret. At scarabeus è stercore pilula facta, ascendit, & in sinum Iouis eam demisit. Iupiter assurgens ut summum excuteret, & oua abiecit oblitus, quæ & contriuit deiecta. Sed cum didicisset à scarabeo, quod hæc fecisset ut aquilam ulcisceretur (non enim scarabeum tantum illa affecit iniuria, sed & in Iouem ipsum impia fuit) aquilæ reuersæ, ait, scarabeum esse qui affecit mœrore, & certè iure affecisse. Nolens igitur aquilarum genus deficere, consulit scarabeo, ut aquilæ reconciliaretur. Cum hic non paruiisset, ille in aliud tempus transposuit aquilarum partum, cum non appareant scarabei. Et uos igitur ô uiri Delphi, ne despicite hunc deum, ad quem profugi: & si paruum sortitus est delubrum, neque enim impios negliget. Delphi uero hæc parum carentes, rectâ ad mortem itidem ducebant. Aesopus nulla re à se dicta uidens eos flecti, rursus ait, Viri crudeles, & interfectores audite. Agricola quidam in agro conseruit: cum nunquam ingressus esset in urbem, precabatur domesticos ut eam uideret. At illi iunctis asellis, atque in currum eo imposito, solum iusserunt agere. Eunti autem procella & turbine aërem occupantibus, & tenebris factis, aselli à via aberrantes, in quoddam præcipitium deduxerunt senē. At ille iam præcipitandus, O' Iupiter, ait, qua in re te iniuria affeci, quòd sic inique occidor, præsertim cū neq; ab equis generosis, neque à milibus bonis, sed ab asellis uilissimis? Et ego itaque eodem modo nunc

do nunc tristor, quoniam non ab honoratis uiris, & ele-  
gantibus, uerum ab inutilibus, & pessimis interficior.

**D**e uiro & Iamq; præcipitandus, eiusmodi dixit rursus fabulam, Vir  
filia. quidam suam deamans filiam, rus misit uxorem, solam au-  
tem filiam receptam uiolauit. Illa autem, Pater, ait, scele-  
sta facis, optarem tamē à multis potius uiris dedecore hoc  
affici, quam à te, qui genuisti. Hoc nunc & in uos, ô ini-  
qui Delphi dico, quod eligerem in Scyllam, & Charyb-  
dim potius incidere, ac in Africæ Syrteis, quam per uos  
iniuste, atq; indigne mori: execror igitur uestrā patriam,  
& deos testor, me præter omnem iustitiam interire, qui  
me ulciscunt exauditum. Præcipitē igitur ipsum dede-  
runt de rupe, & mortuus est. Non multo post autem pe-

stilentia laborantes, oraculum acceperūt expiādam

esse Aesopi mortem. Cui quod & conscijs sibi  
essent, iniuste eum interfecisse, etiā cippū  
erexerūt. Sed primates Græciæ, ac do-

ctissimi quique, cū & ipsi, quæ  
in Aesopū facta fuissent, in-  
tellexissent, Delphos  
profecti sunt, &  
cū illi habi-

ta in-

quisitione,

ultores & ipsi Aesopi  
mortis fue-  
runt.

AESOPI VITÆ FINIS.

EX APHTHONII  
SOPHISTAE EXERCITAMENTIS.

**F**abula profecta quidem est à poëtis, sed & rhetori=bus communis facta est admonendi gratia. **E**st autem Fabula quid fabula sermo fictus, imagine quadam repræsentans ueritatem et quotuplex. Atq; alia Sybaritica, alia Cilix, alia Cypria dicitur, accepto ab inuentoribus nomine. Verū quoniam Aesopus egregie præter cæteros conscripsit fabulas, euicit ut potius Aesopia diceretur. Ea uero est triplex, Rationalis, Moralis, Mista. Rationalis, in qua aliquid ab homine geri configitur. Moralis, quæ eoru imitatur mores, quæ sunt rationis expertia. Mista uero, quæ rationale irrationaleq; complectitur. Eam autem admonitionē, cuius causa fabulam constitueris, Antefabulationem præpositam, post positam uero, Affabulationem dices.

FABVLA QVA FORMICAE  
rum & Cicadarum exemplo hortantur  
iuuenes ad laborem.

**C**icadæ olim æstate assiduis cantibus indulgebant, formicæ uero hyemis memores, laboribus fructibusq; colligendis operam dabant. Verū cū hyems aduenisset, formicæ ijs, quæ collegerant, pascebantur. Cicadas autem delectatio illa, & canendi uoluptas, eò indigentia, miseriæq; perduxit, ut esurirent omnes, & fame conficerentur. Sic iuuentus laborum fugitans, male habet in senectute.

Ex Philo

EX PHILOSTRATI  
Imaginibus.

FABVLA E.

**F**abulæ se ad Aesopum, sua in eum benevolentia conserunt, quod satagit sui. Fabula quippe et Homero, et Hesiodo, necnon et Archilochi in Lycamben curæ fuit. Sed ab Aesopo humana omnia ad fabellas redacta sunt, sermone brutis non temere impertito: nam et cupiditatem tollit, et libidinem insectatur, et fraudem. Atque haec ei leo quispiam agit, et uulpes, et per Iouem equus: nec testudo muta. Ex quibus pueri discunt, quæ in uita gerantur. Habentur igitur in pretio fabulæ propter Aesopum. Accedunt ad ianuam docti huius, uittis cum deuinctoræ, coronaq; oleagina coronaturæ: hic, ut puto, fabulam aliquam texit: risus enim faciei, et oculi in terram defixi id præ se ferunt. Pictorem, fabularum curas remissione animo indigere, non latuit. Philosophatur autem et fabularum corpora. Bruta enim cum hominibus conferens, cœtum circa Aesopum statuit ex illius scena conflictū.

Chori, dux uulpes depicta est.

Vtitur enim ea Aesopus

ministra argumen-

torū plurium,

ceu Dauo

Comœ

dia.

EX HERMOCENIS EX-  
ercitamentis.

PRISCIANO INTERPRETE.

**F**abula est oratio ficta, uerisimili dispositione, im-  
ginem exhibens ueritatis. Ideo autem hanc primam  
tradere pueris solent oratores, quia animos eorum ad-  
huc molles ad meliores facile uias ritè instituunt. V si sunt  
ea tamen uetusissimi quoque autores, ut Hesiodus, Archi-  
lochus, Horatius. Hesiodus quidem lusciniæ, Archilochus  
autem nulpis, Horatius muris. Nominantur autem ab  
inuentoribus fabularum, aliæ Aesopiæ, aliæ Cypriæ, aliæ  
Libycæ, aliæ Sybariticæ, omnes autem communiter Ae-  
sopiæ dicuntur, quoniam in conuentibus frequenter so-  
lebat Aesopus fabulis uti. Mendacem quidem esse no-  
lunt fabulam, sed ad uitam utilem, necnon et uerisi-  
malem. Est autem uerisimilis, si res, quæ subiectis accidunt  
personis, apte reddantur, utputa de pulchritudine ali-  
quis certat, pauo supponatur hic. Oportet alicui astu-  
tiam tribuere, uulpecula est subijcienda. Imitatores ali-  
quos hominum uolumus ostendere, hic Simijs est locus.  
Oportet igitur modo breuiter, modo latius eas disse-  
rere. Quomodo autem hoc fiet? Si nunc narratione sim-  
plici proferantur, nunc etiam sermo inductis fingatur  
personis. Exempli causa, Simiæ conuenerunt et con-  
silium habuerunt de urbe condenda: et quia placuit  
illis, paratæ erant incipere ædificationem, sed uetus Si-  
mia prohibuit ab incepto, eas docens, quod facile capi-  
antur, si intra muros concludantur: sic breuiter dices.

Si uelis

Si uelis producere, sic: Samiae conuenerunt, & consilia= bantur de urbe condenda, quarum una in medium ueniēs concionata est, quia oportet ipsas quoque ciuitatē habe= re. Videtis enim, aiebat, quod ciuitatem habēdo felices ho= mines sint, domos etiam habent singuli, & in concionem uniuersi, & in theatrum ascendentēs delectant animos spectacionibus, & auditionibus uarijs. Et sic proferes orationem in orando, dicens, quod & plebiscitū scriptum est, & finges etiam orationem ueteris simiæ. Expositio autem fabularum uult circuitionibus carere, & iu= cundior esse. Sed oratio, qua utilitas fabulæ re= tegitur, quam ἐπιμύθιον uocant, quod nos affabulationē possumus dicere, à quibusdam prima, à plerisq; rationabilius postrema po= nitur. Sciēdum uero, quod etiam ora= tores inter exem= pla solent fabulis uti.

# L A V R E N T I V S

## V A L L E N S I S I N S I G N I

uiro Arnoldo Fouelledæ  
Salutem.



R O M I S E R A M nuper, me tibi coturnices, quas ipse uenatus essem, mis-  
surum. Eas capere (ut homo uenādi in-  
suetus) cum non possem: ad uenationē  
meā, id est, ad literas me cōuerti. Ut for-  
te ad manus uenit libellus Græcus ex præda nauali, tres  
et triginta Aesopi fabulas continens, has omnes bidui la-  
bore uenatus sum. Mitto igitur ad te, siue fabellas, siue  
mauis coturnices, quibus oblectare te possis ac ludere. Et=  
enim si Octavianum, Marcumq; Antonium, orbis terra=  
rum principes, ludo coturnicum delectatos accepimus:  
profectò tu uir literarum amantissimus, literato hoc gene-  
re ludendi delectaberis. Et si quis Octauiano aut Antonio  
pugnacem aliquam harum avium dono dedisset, iucundā  
illis rem, gratiamq; fecisset: ego quoq; tibi iucundus, gra-  
tusq; ero, qui plures triginta eius generis aues dono mit-  
to, pugnaces, uictrices, et (si forte hoc te magis iuuat)  
etiam pingues. Oblectant enim haec fabellæ, et alunt: nec  
minus fructus habent quam floris. Sed ne donum suū lau-  
dare insolentis sit, finem faciam. Tu si coturnices ueras,  
quam has fabellas, malis, rescribe. Mittam namq; nō mo-  
do coturnices, sed etiam perdices. Ex urbe Caieta, Ca-  
lendis Maij, M. CCCC. XXXVIII.

**V**ulpes & caper sitibundi in puteum quendam descendenterunt: in quo cum perbibissent, circumspicienti capro redditum, uulpes ait: Bono animo esto caper: excogitaui nanque quo pacto uterque reduces simus. Siquidem tu eriges te rectum, primoribus pedibus ad parietem admotis, cornuaq; adducto ad pectus mento, reclinabis: & ego per terga cornuaq; tua transiliens, & extra puteum euadens, te istinc postea educam. Cuius consilio fidem habente capro, atque, ut illa dicebat, obtemperanti, ipsa à puteo resiliit: ac deinde præ gaudio in margine putei gestiebat exultabatq; nihil de hirco curæ habens. Cæterum cum ab hirco ut fœdis fraga incusaretur, respondit: Enim uero hirce, si tantum tibi esset sensus in mente, quantum est setarum in mento, non prius in puteum descendisses, quam de redditu exploratum habuisses.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, uirum prudētem debere finem explorare, antequam ad rem agendam ueniat.

**V**ulpes & pardus de pulchritudine altercabantur: & pardo suam pellem uersicolorem extollente: uulpes suam cum non posset præponere, inquit, At quanto ego speciosior, quæ non corpus, sed animum uersicolore fortita sum.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, pulchritudinē animi antecellere pulchritudinem corporis.

## DE CATA ET VENERE.

3

**C**ATI quædam delitium erat cuiusdam formosi adulescens. Hanc ille, ut in fœminam mutaret, Venerem comprecatus est. Dea miserta cupiditatis adolescentuli, conuertit bestiam in speciosam puellam. Cuius forma inardescens adolescentulus, adducit illam secum domum. Quibus confidentibus in cubiculo, Venus uolens periculum facere nunquid illa cum corpore mutasset & mores, murem in medium dimisit. At illa, eorum qui aderant, & cubiculi nuptialis immemor, è cubili consurgens, murem insequebatur, illum comedere cupiens: tum dea indignata, eam iterum in suam restituit naturam.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, scelestos homines, etiam si conditio nem statumq; mutent, tamen mores nequaquam mutare.

## DE AGRICOLA ET FILIIS EIVS. 4

**A**Grīcola filios suos uidens quotidie gladiantes, neque in gratiam reducere potis esset: iussit fasciculum uirgarum sibi affirri (aderant autem filij illic sedentes) quæ cum allatæ essent, colligauit omnes in unum fasciculum: iussit' que singulos eorum fasciculum capere atque confringere. Illis uero confringere non ualentibus, soluens postea fasciculum, tradidit singulas uirgas eis frangendas: atque illis statim frangentibus, intulit, Ita quidem & uos ò filioli mei, si unanimes inuicem perstiteritis, inexpugnabiles uos hostibus inuictosq; præbebitis: si minus, uestra ipsa æmulatio atque seditio, opportunam uos prædam inimicis faciet.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, & que res humanas capere, uel à concordia incrementum, uel à discordia iacturam.

## DE MULIERE ET GALLINA. 5

**M**ulier quædam uidua habebat gallinam quotidie singula oua ponentem. Sperans autem mulier, pro singulis bina oua posituram, si plus escarum tribuisset, opipare educabat. Gallina uero pinguior effecta, ne unum quidem ouum amplius facere poterat.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, quod homines per luxum rerū ex copiam marcescentes, ab instituta industria retardantur.

## DE DVOBVS ADVLESCENTIBVS. 6

**D**uo adulescentes obsonium à coquo communiter mercati sunt. Cæterum cum coquus quibusdam negotijs domesticis intenderet, uacaret que alter adulescentum partē obsonij in alterius manus immisit. Conuertente autem se coquo, & partem carnis, quæ aberat, requirēte: qui carnem sustulerat, iurat se non habere: qui uero habebat, se non sustulisse. Quibus coquus (intellecta adulescentum argutia) inquit, Etsi me latet fur: tamen eum quem iurastis, non latebit.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, quod si quid homines celamus, Deū tamen nequaquam celare poterimus, qui solus omnia propicit & omnia uidet.

## DE DVOBVS AMICIS ET VRSO. 7

**D**vobus amicis una iter facientibus fit ursus obuiam, quorum unus perterritus, in arborem scandens, lauit.

erit: alter uero, cum se imparē urso fore, et si pugnaret, superatum iri, intelligeret: procidens simulabat se mortuum esse. Ursus uero adueniens, et aures et occiput eius olfaciebat, illo qui stratus iacebat, usque quaque continentem respirationem. Ita mortuum esse credens ursus, abiit: ~~aiunt enim non seuire in cadauera~~. Mox alter, qui inter frondes arboris latuerat: descendens, interrogat amicum quidnam ad aurem ursus esset secum loquutus. Cui amicus inquit, Admonuit me ne posthac cum huiusmodi amicis iter faciam.

## Adfabulatio.

Fabula hæc innuit, de uitandos esse amicos, qui periculosum in tempore auxilio præstando reuocant pedem.

## DE ARVNDINE ET OLEA. 8

**D**isceptabant aliquando arundo et olea, de constanza et fortitudine, et de firmitate. Et olea quidem arundini probra ingerebat, ut fragili et ad omnem uentum uacillanti. Arundo autem obticebat, non longum tempus spectans. Nam cum uentus uehemens ingruiisset, arundo reflectebatur agitabaturque. Olea uero cum violentiæ uentorum reluctari uellet, confracta est.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, eos qui fortioribus ad tempus cedunt, potiores esse ijs qui non cedunt.

## DE TUBICINE. 9

**E**rat tubicen quidam, qui in militia signum caneret: his interceptus ab hostibus, ad eos qui circumfistabant, proclamabat, Nolite me uiri innocentem, innocentem, insontemque perimere: nullum enim unquam occidi:

quippe nihil aliud quām hanc buccinam habeo. Ad quem illi uicissim cum clamore responderunt, Tu uero hoc ipso magis trucidaberis, quod cum ipse dinucare nequeas, cæteros potes ad certamen impellere.

## Adfabulatio.

Fabula hæc innuit, quod præter cæteros peccant, qui malos & importunos principes persuadent ad inique agendum.

## DE CANE ET LANIO.

10

**C**Anis quidam insilijt in macellum, lanio in aliquare occupato, & arrepto pecoris corde fugiebat. Ad quem lanius conuersus, fugientemq; aspiciens, inquit, O' canis, abi: ubicunque fueris te obseruabo: non enim mihi cor sustulisti, sed cor dedisti. Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, iacturam frequenter esse hominibus doctrinam.

## DE AEGROTO ET MEDICO.

11

**A**Egrotus quidam à medico interrogatus, quonam modo se habuisset: præter modum respondit, in sudorem se fuisse resolutum. Cui medicus, Istud (inquit) bonum est. Altero autem die interrogatus quo modo se haberet: respondit, Algoribus corruptus, diu uexatus sum. Et istud (inquit medicus) bonum est. Tertio cum eodem interrogaretur, respondit, Profluiio corporis debilitatus sum, Istud (inquit) etiam bonum est. Postea autem à familiari interrogatus, Quo modo habes ò amice? Respondit, Ego etiam atque etiam bene habeo, sed morior.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, coarguendos assentatores.

De Asino

## DE ASINO ET LVPO.

12

**A** Sinus calcato ligni aculeo claudicabat: conspectoq; Alupo, ait, O' lupe, en præ cruciatu morior, futurus esca, aut tua, aut uulturū, aut coruorū. Vnū modo manus abs te flagito: educ prius ex pede aculeū, ut moriar saltē sine cruciatu. Tūc lupus summis dētibus aculeū mordicus deprehendens, eduxit. Asinus uero doloris oblitus, ferratos calces in faciem lupi impegit: fractisq; illius fronte naribus & dentibus, au fugit: lupo seipsum accusante, ac merito sibi id euenisce dicente: quod qui didicerat esse lanius iumentorum, nunc eorum uolebat esse chirurgus.

## Ad fabulatio.

Hæc fabula innuit, quod qui sua articia deserūt trāferentes se ad aliena, ipsis nō apta, & in derisum ueniūt, & in discrimen.

## DE PASTORE ET MARI.

13

**P** Astor in loco maritimo gregem pascebatur: qui cum uideret mare tranquillum, incessit cupido nauigationem faciendi. Itaque uenundatis ouibus, emptisq; palmarum sarcinis, nauigabat. Orta autem uehementi tempestate, & naui mergi periclitante, omne pondus nauis in mare eiecit, uixq; euasit exonerata nauis: Paucis post diebus, ueniente quodam & tranquillitatem maris admirante (erat enim sanè tranquillum) respondens inquit, Palmas iterum uult quantum intelligo: ideoq; immotum sese ostendit.

## Ad fabulatio.

Hæc fabula innuit, eruditiores fieri homines damno atq; periculo.

**V**ulpes nullum ante a leonem conspicata, cum illi aliquando obuiasset, ita conspectū eius expauit, ut parum ab fuerit quin extingueretur. Quod cū postea iterum accidisset: ad cōspectum quidē leonis exterrita est, sed nō ita ut prius. Tertio cum leonem eundē uidisset in ciuitate: non modo non exterrita, sed confidenter adiens, secū colloquuta est & confabulata. Ad fabulatio.

Hæc fabula innuit, quod consuetudo & conuersatio facit, ut quæ maxime horribilia & formidolosa sunt, neq; horrida, neq; formidolosa uideantur.

**G**Allos quidam domū suæ cum haberet, mercatus est perdicem, eamq; in societatem gallorum dedit unā cum illis saginandam. Eam uero statim galli, pro se quisq; mordebant, abigebantq;. Perdix autem apud se afflictabatur: existimans, ideo talia sibi à gallis inferri, quod suum ab illorum genere alienum esset. Vbi uero nō multo post aspexit & illos inter se pugnantes mutuoq; percutientes: recreata à mærore & tristitia, inquit, Evidem uero posthac ego non afflictabor amplius, uidens eos etiam inter se dimicantes.

Ad fabulatio.

Hæc fabula innuit, virum prudentem debere aequo animo ferre contumelias ab alienigenis illatas, quos uidet né à domesticorum quidem iniurijs abstinere.

**V**ulpes aliquando in domum citharœdi ingressa: dum omnia instrumenta musica, omnem supelle=ctilem

*Etilem scrutaretur : reperit è marmore caput lupinum, scienter fabreq; factum. Quod cum in manus sumpfisset, inquit, O' caput cum magno sensu factum, nullum sensum obtinens.*

## Adfabulatio.

*Hæc fabula ad eos spectat, qui corporis dignitatē hæc  
bent, animū industriam non habent.*

## DE CARBONARIO ET FULLONE. 17

*C*arbonarius cōducta in domo habitans, inuitauit Ful  
lonem, qui eò loci proxime uenisset, ut eisdē in ædi-  
bus unā habitarēt. Ad quem Fullo, O' homo, non est mihi  
istud factu cōducibile: Vereor enim ne quicquid ipse can-  
defacerem, id omne tu carbonaria aspergine fuscares.

## Adfabulatio.

*Fabula hæc innuit, nullum cum flagitiosis habendum  
esse commercium.*

## DE HOMINE GLORIOSO. 18

*V*ir quidam aliquandiu peregrinatus, cum iterū do-  
mum redijisset: cum multa ardua in diuersis regioni-  
bus à se uiriliter gesta lactabundus prædicabat, tum uero  
illud maxime quòd Rhodi, omnes certamine saliendi su-  
perasse: eiusq; rei Rhodi:os, qui affuerunt, testes esse. Ad  
quem unus assistentium respōdens, inquit, O' homo, si ue-  
rum est quo i loqueris, quid tibi opus est testibus? Ecce  
Rhodus, ecce hic certamen saliendi.

## Adfabulatio.

*Hæc fabula innuit, quòd ubi rerū testimonia adsunt,  
nihil opus est uerbis.*

## DE HOMINE ET APOLLINE. 19

**Q**uidam facinorosus Delphos se cōtulit, Apollinem tentaurus, habensq; passerculum sub pallio, quem pugno tenebat. Accedensq; ad tripodas, interrogabat deum, dicens: Quod habeo in dextera, uiuit' ne, an mortuum est? Prolatus passerculum uiuum, si mortuum respondisset: rursus prolatus mortuum, si uiuum respondeisset: Occidisset enim statim sub pallio priusquam proferret. At deus subdolam calliditatem hominis intelligens, dixit, O' consultor, utrum maiis facere (penes te nanque arbitrium est) facito: et siue uiuum, siue mortuum quod in manu habes, proferto.

## Adfabulatio.

Fabula hæc innuit, mentem diuinam nihil neq; latere, neque fallere.

## DE PISCATORE ET CINARIDE. 20

**P**iscator quidam demissis in mare retibus, detulit cinaridem pusilli corporis: quæ piscatorem sic obsecrabat, Noli me in præsentiarum capere pusillam & minutam, sine abire & crescere: ut postea iam adulta, commodo cum maiore potiaris. Cui piscator, Ego uero amens sum, si lucrum quod inter manus habeo (licet exiguum) prætermittam spe futuri boni quantumlibet magni.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, stolidum esse, qui propter spem maioris, rem & præsentem & certam (licet paruam) non amplectitur.

## DE ASINO ET EQVO. 21

**V**ir quidam habebat equum & asinum. In itinere faciendo, inquit asinus equo, Si me saluum uis, leua me par

me parte oneris mei . Equo illius uerbis non obsequente,  
asinus sub onere cadens, moritur . Tunc dominus iumento-  
rum, omnes quas portabat asinus sarcinas, simulq; co-  
rium, quod à mortuo exuerat, equo imponit. Quo onere  
depressus equus, cum clamore inquit, Væ mihi iumento-  
rum infeliciſſimo, quid mihi misero euenit? Nam recusans  
partem, nunc totum onus porto, & illius corium.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, maiores debere in laboribus parti-  
cipes esse minoribus, ut utrique in columnes sint.

DE HOMINE ET SATYRO.

22

**V**ir quidam cum satyro amicitiam inierat. Qui cum  
cedendi gratia sederent, exorta cœli tempestate, uir  
manus ad os admouens, anhelitu refocillabat. Quod in-  
tuens satyrus, interrogat quam ob rem id faceret. Ille in-  
quit, calore oris algentes manus refocillo . Pauloq; post,  
calidore edulio allato, cum uir iterum manus ad os admo-  
uens, calorem cibi tenui inspiratione refrigerauit, interro-  
gat satyrus quam ob rem & illud faciat. Respondente au-  
tem uiro, ut refrigeraret edulium: Atque ego, inquit saty-  
rus, tecum posthac amicitiam non exercebo, qui ex uno  
ore, & calidum promis & frigidum. Vale.

## Adfabulatio.

Fabula innuit, deuitandum eius amicitiam esse, cuius  
anceps uita est, & non simplex sermo.

DE AGRICOLA ET CANIBVS. 23

**A**gricola quidam hyberno sydere in agro depre-  
hensus, deficientibus cibarijs primùm interfectis  
singulis ouibus, illarum carnibus uescebatur, mox &  
caprarum

*caprarum, postremo operarijs bobus interemptis alebatur. Quod canes dum animaduertissent, inter se colloqui sunt, dicentes, At nos hinc faciamus fugam. Si enim opera-rijs bobus dominus non pepercit, nec nobis quidē parcer.*

Adfabulatio.

*Hæc fabula innuit, fugiendos cauendosq; qui à familiariibus manus non abstinent.*

DE QVODAM ADMORSO A CANE. 24

**A**d morsus quidam à cane, circuibat singulos, corrugans curationem: nactusq; quendam est, qui cognita mali qualitate, inquit, Si tu quidem o homo conualescere uis, crustam panis madefactam in sanguine uulneris, porridge cani qui te momordit comedendam. Cui ille deridenter inquit, Ego, me hercle, si illud fecero, dignus sum qui ab omnibus huius urbis canibus præmordear.

Adfabulatio.

*Hæc fabula innuit, improbos homines cum maxime beneficia acceperint, tum maxime ad maleficia animari.*

DE THYNNO ET DELPHINO. 25

**T**hygnus, cum Delphinū in sequentem præcipiti cursu fugeret, & iam capiendus esset, in anfractū quendam se intorsit. Delphinus quoque ad alterum similem impetu ipso allisus est. Ad quē Thynnus respiciens, eumq; expirantem uidens, inquit, Iam mihi mors non erit molesta, uidenti eum qui mihi causa mortis est, mecum morientē.

Adfabulatio.

*Hæc fabula innuit, æquo animo ferre homines calamitates, cum eos per quos in calamitate sunt, calamitosos afficiunt.*

## DE AVCVPE.

26

**A**vceps quidam sumptis aucupatorijs retibus, ad ue= nandum processit, uisoq; palubo in cacumine arbo= ris sedente, compositas artificiose arundines cum retibus ad auem clanculum admouebat, sperans illam se uenari posse. Quod cum agit, in altum intuens, iacentem uiperam pedibus pressit: quæ exasperata dolore, hominem momor dit. At ille iam deficiens, Me miserum, inquit, qui cum al= terum uenari uolo, ipse ab altero captus pereo.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, quòd æmuli alios arte sua nitentes decipere, sæpe in laqueos quos tendunt, incidunt.

## DE CASTORE.

27

**C**astor præter cæteros quadrupedes, in aqua durare fertur, suaq; genitalia ad artem medicam sanè utilia esse. Hic ubi uidet se ab indagantibus hominibus captum iri ( nouit enim quamobrem indagetur ) ipse sibi genita= lia præcidit, atque in sequentes proijciens, hoc modo in= columis euadit.

## Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, huius exēplo prudentes debere pro adipiscenda salute, nullam rationem habere fortunarum.

## DE VATICINATORE.

28

**V**aticinator quidam in foro sedens sermocinabatur, cum sibi quidam denuntiat fures domus eius effra=etas esse, omniaq; direpta quæ in domo fuissent. Ad quem nuntium vaticinator gemens, properansq;: cursu se do= mum recipiebat. Quem currentem intuens quidam, O tu, inquit, qui aliena negotia te diuinaturum promittis, certe

tua

*tua ipse non diuinasti.*

Adfabulatio.

Fabula hæc ad eos spectat, qui res suas non recte administrantes, alienis, quæ nihil ad eos pertinent, prouidere ac consulere conantur.

DE AVCVPE ET MERVLA.

29

**A**Vceps tetenderat uolucribus retia, quod eminus inatuens merula, percontabatur hominem quid negotij ageret. Ille respondit, se condere urbem. Abiitq; longius, & sese abdidit. Merula uero uerbis illius fidem habens, accedens ad escam iuxta retia positam, capta est. Accuranteq; aucupe, inquit, O homo, si tu quidem talem cōdis urbem, haud multos inuenies incolas.

Adfabulatio.

Hæc fabula innuit, eo maxime modo rem priuatam & publicam destrui, cum præfides sœvitiam exercent.

DE VIATORE ET IOVE.

30

**V**iator longum ingressurus iter: si quid inuenisset, eius dimidium Ioui se oblaturum promisit. Inuento autem in ipso itinere vase palmarum & amygdalarum pleno, comedit omnes palmulas amygdalasq;: sed harum nucleos, illorum putamina ad aram quandam obtulit, inquiens, Iuppiter, habes quod tibi uoueram: quod enim inueni, eius & interiora & exteriora tibi offero.

Adfabulatio.

Fabula hæc innuit, auarum hominem cupiditate pecuniae, etiam dijs moliri fallacias.

DE FILIO ET MATRE.

31

**P**Ver quidam in schola, condiscipuli furatus tabellam alphabetariam, attulit matri suæ. A' qua non castigatus,

tus, quotidie magis furabatur. Procedente autem tempore, maiora cœpit furari. Tandem à magistratu deprehensus, ducebatur ad supplicium: Matre uero sequente ac uociferante, rogauit satellites, ut paulisper cum ea ad aurem loqui pernütterent. Quibus annuentibus, & matre festinabunda, aurem ad os filij admouente: ille auriculam maternam dentibus amorfam euulsit. Et cum mater ceteriq; increparent, non modo ut furem, sed etiā ut in parentem suam impium, inquit, Hæc mihi ut perderer, extitit causa: si enim me ob tabellam alphabetariam castigaset, nequaquam ad ulteriora progressus, ad supplicium nunc ducerer.

## Adfabulatio.

Fabula hæc innuit, quod qui inter initia peccandi non coercentur, ad grauiora flagitia euadunt.

## DE FILIO ET PATRE.

32

**F**ilium quidam senior habebat generosi animi, &uenaticorum canum amatorem. Hunc per quietem uiderat à leone trucidari. Territus igitur ne forte somnum hoc aliquando sequeretur euentus, extruxit dominum quandam politissimam, laquearibus ac fenestrīs amoenissimam: illucq; inducens filium, illi custos inhærebatur. Depinxerat enim in ea domo, ad oblectationem filij, omne genus animalium, in quibus & leonem. Adolescens hæc inspiciens, eo amplius molestiæ contrahebat. Quadam autem uice leoni proprius stans, inquit, O' truculentissima fera, te propter, & propter inane somnum patris, in hac domo asseruor uelut in carcere. Quid igitur faciam? Et hæc dicens, manū parieti incusit, oculum leoni

ni

*ni eruere uolēs, & in clauo, qui illic latebat, offendit: quæ ex percusſione manus emarcuit: succreuitq; sanies, ac febris subſecuta eſt: breui aduelfens eſt mortuus. Ita leo aduelfentem occidit, nihil adiuuante patris sophismate.*

## Adſabulatio.

*Hæc fabula innuit, quæ uentura ſunt, deuitare poſſe neminem.*

DE CALVO QVODAM.

33.

*C*aluus quidam mentitos crines gerens, dum equo uechebatur, ecce turbinis uentus illos de capite fuſiulit: riſus ſtatim magni præſentibus excitantur. Et ille mutuo riſu ad eos, inquit, *Quid nurum ſi crines, qui non erant mei, à me reſerſerint? Illi quoque reſerſerunt qui mecum fuerant nati.*

## Adſabulatio.

*Hæc fabula innuit, non debere nos mærere ob amiffas opes. Quod enim naſcentes à natura non accepimus, nō potest nobis cum perpetuo permanere.*

TRIVM ET TRIGINTA  
AESOPI FABVLARVM  
A' LAVR. VALLA  
TRADVCTA  
RVM,

F I N I S.

# ALIAE ITEM ALI

Q V O T A E S O P I F A B V

*Le è Græco in Latinum uersæ, incerto  
interprete*

IMPOSSIBILIA PROMITTENS. 1



I R pauper ægrotans, & male affectus, cū à medicis desperatus esset, deos rogabat, pollicens si sanitatem sibi rursus restituissent, centum boues ipsis oblaturum esse in sacrificium. Vxore autem eius audiente, Et ubi tibi hæc, si conualueris? Ille ait, Putas enim surgere me hinc, ut dei hæc à me repetant?

### Ad fabulatio.

Fabula significat, multos facile polliceri, quæ re comprobare non sperent.

RANAE. 2

R Anæ duæ in palude pascabantur, & estate autē siccata palude, illa derelicta, quærebant aliam: cæterū profundum inuenierunt puteū: quo uiso, altera alteri inquit, Descendamus heus tu in hunc puteum. Illa respondens ait, Si igitur & hic aqua aruerit, quomodo ascendemus?

### Ad fabulatio.

Fabula declarat non oportere incōsiderate res aggredi.

CANIS ET GALLVS. 3

C Anis & gallus inita societate iter faciebant. Vespa-  
cra autem superueniente, gallus cōscensa arbore, dor-  
miebat: at canis ad radicem arboris excavatæ. Cum gal-

lus

*Ius, ut assolet, noctu cantasset, uulpes ut audiuit accurrit: & stans inferius, ut ad se descenderet, rogabat, quod cuperet commendabile adeo cantu animal complecti. Cum autem is dixisset, ut ianitorem prius excitaret ad radicem dormientem, ut cum ille aperuisset, descenderet, & illa quærente ut ipsum uocaret, canis statim proſiliens eam dilacerauit.*

Adfabulatio.

Fabula significat, prudentes homines inimicos insultantes ad fortiores astu mittere.

LEO ET VRSVS.

4

**L**Eo & ursus simul magnum nacti hinnulum, de eo pugnabant: grauiter igitur à seipsis affecti, ut ex multa pugna etiam uertigine corriperentur, defatigati iacebant. Vulpes autem circum circa eundo, ubi prostratos eos uidit, & hinnulum in medio iacētem, hunc per utrosque percurrendo, rapuit, fugiensq; abiuit: at illi uidebant quidem ipsam, sed quia non poterant surgere, nos miseris, dicebant, quia uulpi laborauimus.

Adfabulatio.

Fabula significat, alijs laborantibus, alios lucrari.

VESPERTILIO, ET RUBVS,

& Mergus.

5

**V**espertilio, et rubus, & mergus inita societate mercatoriam decreuerunt uitam agere. Itaque uestem argētum mutuata proiecit in medium: rubus uestem secum accepit: mergus tertius, & es, & nauigauerunt. Tempestate autem uehementi oborta, & nauis euersa, omnibus perditis, ipsi in terram euaserunt. Ex illo igitur mergus litoribus semper assidet, num quopiam & es ejciat mare.

Vesper

Vespertilio uero creditores timens, interdiu non apparet, noctu ad pabulum exit. Rubus prætereuntium uesti inhæret, sic ubi suam cognoscat querendo.

## Adfabulatio.

Fabula significat, in ea quibus incumbimus, in posterum recidere.

## PAVO ET MONEDULA.

6

**A**vibus creaturis regem, pauo orabat ut se ob fulchitudinem eligeret. Eligentibus autem cū omnibus, monedula suscepto sermone ait, Sed si te regnate aquila nos persequi aggressa fuerit, quomodo nobis opere feres?

## Adfabulatio.

Fabula significat, principes nō modo propter pulchritudinem, sed et fortitudinem et prudentiam eligi oportere.

## CINGULARIS ANIMAL ET VULPES. 7

**C**ingularis agrestis super quadam sidens arbore dentes acuebat. Vulpes rogante causam, quare nulla præposita necessitate dentes acueret, ait, Non abs re hoc facio: nam si me periculum inuaserit, nequaquam me tunc acuendis dentibus occupatum esse oportebit, sed potius paratis uti.

## Adfabulatio.

Fabula significat, aduersus periculum præparatum esse oportere.

## CASSITA.

8

**C**assita laqueo capta plorans dicebat, Hei mihi miseræ, et infelici uolucris: non aurum surripui cuiusquam, non argentum, non aliud quicquam pretiosum. Granum autem tritici paruum, mortis mihi causa fuit.

## Adfabulatio.

*Fabula in eos, qui ob uile lucrum magnum subeunt periculum.*

HINNULVS.

9

**H**innulus aliquando ceruo ait, Pater, tu & maior, & celerior canibus, & cornua præterea ingentia gestas ad vindictam, cur nam igitur sic eos times? Et ille ridens ait, Vera quidem hæc inquis, fili: unum uero scio, quod cum canis latratum audiuero, statim ad fugam ne scio quomodo efferor.

## Adfabulatio.

*Fabula significat natura timidos nulla admonitione fortificari.*

AVARVS.

10

**A**varus quidam cum omnia sua bona uendidisset, & auream glebam fecisset, in loco quodam infudit, unde defosso illic & animo suo, & mente: atque quotidie eundo, ipsam uidebat. Id autem ex operis quædā obseruando cognouit, & refossum glebā abstulit. Post hæc & ille profectus, & uacuum locum uidēs, lugere cœpit, & capillos euellere. Hunc cum quidam uidisset sic florantē, & causam audiisset, Ne sic, ait, ô tu, tristare: neque enim habens aurum, habebas: lapidem igitur pro auro acceptum reconde, & puta tibi aurum esse, eundem enim tibi usum præstabit: nam ut video, neque cum aurum erat, utebare.

## Adfabulatio.

*Fabula significat, nihil esse possessionem, nisi usus ad fuerit.*

ANSERES ET GRVES.

11

Anseres

**A**Nseres, & grues in eodem prato pascebantur. Venatoribus autē uisīs, grues, quod essent leues, statim euolauerunt, anseres uero ob onus corporum cū mansissent capti fuerunt. Ad fabulatio.

Fabula significat, & in expugnatione urbis, in opes facile fugere, diuites autem seruire captos.

## TESTUDO ET AQVILA.

12

**T**estudo orabat aquilam, ut se uolare doceret. Ea autem admonente procul hoc à natura ipsius esse, illa magis precibus instabat. Accepit igitur ipsam unguibus, & in altum sustulit: inde demisit: hæc autem in petras cecidit, & contrita est. Ad fabulatio.

Fabula significat, multos, quia in contentionibus prudenteriores non audiuerint, seipsoſ lœſisse.

## CERVA.

13

**C**erua altero obcæcata oculo, in litore pascebatur, sicutum oculum ad terram propter uenatores habens, alterū uero ad mare, unde nihil suspicabatur. Præternauigantes autem quidam, & hoc coniectantes, ipsam sagittarunt: hæc autem seipſam lugebat, quod unde timuerat, nihil passa foret, quod non putabat malum allaturum, ab eo proditam. Ad fabulatio.

Fabula significat, ſæpe quæ nobis noxia uidentur, utilia fieri: quæ uero utilia noxia.

## CERVA ET LEO.

14

**C**erua uenatores fugiens, in speluncam ingressa est. In leonem autem ibi cum incidisset, ab eo comprehensa est. Moriens autē dicebat, Hei mihi, homines fugiens, in ferarum immutissimum incidi. Ad fabulatio.

Fabula significat, multos homines dum parua fugiunt pericula, in magna incurrere.

## CERVA ET VITIS.

15

**C**erua uenatores fugiens, sub uite delituit. Cum præterijgent autem parumper illi, cerua prorsus iam latere arbitrata, uitis folia pasci incepit. Illis uero agitatis, uenatores conuersi, & quod erat uerum arbitrati, animal aliquod sub folijs occultari, sagittis confecerunt ceruam. Hæc autem moriens talia dicebat, Iusta passa sum, non enim offendere oportebat, quæ me seruarat.

## Adfabulatio.

Fabula significat, qui iniuria benefactores afficiunt, à deo puniri.

## ASINVS ET LEO.

16

**C**um asino gallus aliquando pascebatur. Leone autem aggresso asinū, gallus exclamauit, & leo (aiunt enim hunc galli uocem timere) fugit. At asinus ratus propter se fugere, aggressus est statim leonem. Ut uero procul hunc persecutus est, quo non amplius galli perueniebat uox, conuersus leo deuorauit. Hic uero moriens clamabat, Me miserum, & dementem: ex pugnacibus enim non natus parentibus, cuius gratia in aciem irrui.

## Adfabulatio.

Fabula significat, plerosq; homines, inimicos, qui se de industria humiliarunt, aggredi, atque ita ab illis occidi.

## OLITOR ET CANIS.

17

**O**litoris canis in puteum decidit, olitor autem ipsum illinc extracturus, descendit & ipse in puteū: ratus autem

autem canis accessisse ut se inferius magis obrueret, conuersus olitorem momordit. Hic autem cum dolore reuersus, Iusta inquit, patior, nam cur unquam sui imperfectorem seruare studui?

## Adfabulatio.

Fabula in iniustos, & ingratos.

S V S E T C A N I S .

18

**S**Vs & canis mutuo conuiciabantur. Et sus iurabat per Venerem, proculdubio dentibus discisurū canē. Canis uero ad hæc dissimulater dixit, Bene per Venerem nobis iuras: significas enim ab ipsa uehementer amari, quæ impuras tuas carnes degustantem, nullo pacto in sacellum admittit. Et sus, Propter hoc igitur magis præse fert dea amare me:nam occidētem, aut alio quoquis modo lædentem omnino auersatur: tu tamen male oles & uiua, & mortua.

## Adfabulatio.

Fabula significat, prudentes oratores, quæ ab inimicis obijciuntur, artificiose in laudem conuertere.

S V S E T C A N I S .

19

**S**Vs & canis de fœcunditate certabant. Dixit autē canis, fœcundam esse maxime pedestrium omnium. Et sus occurrens, ad hæc inquit, Sed cum hæc dicis, scito & cæcos tuos te catulos parere.

## Adfabulatio.

Fabula significat, non in celeritate res, sed in perfectione iudicari.

S E R P E N S E T C A N C E R .

20

**S**erpens unā cum cancro uiuebat, inita cum eo sociate. Itaq; cancer simplex moribus, ut & ille astutiam mutaret, admonebat: hic autem minime obediebat. Cum

e 4 obseruasset

obseruasset igitur cancer ipsum dormientem, & pro vicibus compressisset, occidit. At serpente post mortem extenso, ille ait, Sic oportebat antehac rectum & simplicem esse: neque enim hanc poenam dedisses.

## Ad fabulatio.

Fabula significat, qui cum dolo amicos adeunt, ipsos offendit potius.

## PASTOR ET LVPVS.

21

**P**Astor nuper natum lupi catulum reperit, ac sustulit unaq; cum canibus nutriuit. At cum adoleuisset, si quando lupus ouem rapuisset, cum canibus & ipse persequebatur. Cum canes uero aliquando non possent assuequi lupum, atq; ideo reuerterentur, ille sequebatur, ut cum ipsum assuetus esset, particeps foret uenationis ut lupus: inde redibat. Sin autem lupus extra non rapuisset ouem, ipse clam occidens, una cum canibus comedebat: donec pastor cū coniectasset, & intellexisset rem, de arbore ipsum suspendit, & occidit.

## Ad fabulatio.

Fabula significat, naturam prauam bonos mores non nutrit.

## LEO ET LVPVS.

22

**L**Eo cum consenuisse, agrotabat iacens in antro. Acceperant autem uisitatura regem, praeter uulpem, cætera animalia. Lupus igitur capta occasione accusabat apud leonem uulpem, quasi nihil faciente suum omnium dominum, & propterea neque ad uisitationē profectam. Interim affuit et uulpes, & ultima audiuit lupi uerba. Leo igitur contra eam infremuit. Sed defensionis tempore petito, Et quis, inquit, eorum, qui conuenerunt, tan-

tum

tum profuit quantum ego, quæ in omnem partem circui-  
ui, & medicamentum pro te a medico quæsiui, & didici.  
Cum autem leo statim, ut medicamentū diceret, imperas-  
set, illa inquit, Si lupo uiuente excoriato, ipsius calidam  
pellem indueris. Et lupo iacente, uulpes ridens ait, Sic nō  
oportet dominum ad malevolentiam mouere, sed ad bene-  
uolentiam.      Ad fabulatio.

Fabula significat, eum qui quotidie machinatur, in se-  
ipsum laqueum uertere.

## M V L I E R.

23

**M**ulier quædam uirum ebrium habebat: ipsum autē  
à morbo liberatura, tale quid commenta est. Age-  
grauatum enim ipsum ab ebrietate cum obseruasset, &  
mortui instar insensatum, in humeros eleuatum, in sepul-  
chretum allatum deposuit, & abiuit. Cū uero ipsum iam  
sobrium esse coniectata est, profecta ianuā pulsauit sepul-  
chreti. Ille autē cū diceret, Quid est qui pulsat ianuam?  
uxor respōdit, Mortuis cibaria ferēs ego adsum. Et ille,  
Nō mihi comeſſe, sed bibere ò optime potius affer: tristem  
enim me reddis, cū cibi, nō potus memunisti. Hæc autē pe-  
ctus plangēdo, Hei mihi miseræ, inquit: nā neq; astu pro-  
fui: tu enim uir non solū nō emendatus es, sed peior quo-  
que te ipso euasisti, in habitum tibi deductus est morbus.

Ad fabulatio.

Fabula significat, non oportere in malis actibus im-  
morari: nam & nolentem quandoque hominem consue-  
tudo inuadit.

## C Y C N V S.

24

Vir diues anserem simul & cycnum nutriebat, non

ε 3 ad eadem

ad eadem tamen, sed alterum cantus, alterum mensæ gratia. Cum autem oporteret anserem pati ea, quorum causa nutriebatur, nox erat, ac discernere tempus non permisit utrungq;: cycnus autem pro ansere abductus, cantat canum quendam mortis exordium: & cantu significat natum, mortem uero effugit suavitate canendi.

## Adfabulatio.

Fabula significat, saepe musicen differre mortem.

## AETHIOPS.

25

**A**ETHIOPEM quidam emit, talem ei colorē inesse ratus negligentia eius, qui prius habuit: ac assumpto in domū, omnes ei adhibuit abstersiones: omnibus lauacris tentauit mundare: & colorem quidem transmutare non potuit, sed morbum dolor parauit. Adfabulatio.

Fabula significat, manere naturas, ut à principio prouenerunt.

## HIRVENDO ET CORNIX.

26

**H**IRUNDO & cornix de pulchritudine contendebant. Respondens autem cornix ei dixit, Sed tua pulchritudo uerno tempore floret, meū uero corpus etiam hyme durat. Adfabulatio.

Fabula significat, durationem corporis, decore meliorrem esse.

## BUTALLIS.

27

**B**UTALIS à fenestra quadam pendebat, Vespertilio autem profecta rogauit causam, quare die fileret, nōcēte caneret. Cum autem id ea non incassum hoc facere dixisset (nam die canendo olim capta fuerat, & propterea ex illo prudens evasit) uespertilio ait, Sed non nunc te cauere

Uere oportet, cum nulla utilitas, sed ante quam capereris.

Ad fabulatio.

Fabula significat, in infortunijs inutilem esse pœnitentiam.

## COCHLEAE.

28

**R**ustici filius assabat cochleas. Cum autem audiret eas stridentes, ait, O pessimæ animates, domibus uestris incensis uos canitis?

Ad fabulatio.

Fabula significat, omne intempestive factum, uituperabile.

## MULIER ET ANCILLÆ.

29

**M**ulier uidua operosa ancillas habens, has solebat noctu excitare ad opera ad gallorum cantus. His uero abside defatigatis labore, usum est oportere domesticum occidere gallum, tanquam illum qui noctu excitat heram. Euenit autem ipsis, hoc facto, ut in grauiora inciderent mala: nam hera ignorans gallorum horam, temporius eas excitabat.

Ad fabulatio.

Fabula significat, plerisque hominibus consilia esse malorum causas.

## MULIER VENEFICA.

30

**M**ulier uenefica diuinarum irarum propulsiones promittens multa facere perseverabat, et lucrum inde facere. Quidam igitur accusauerunt eam impietas, et conuicerunt, et damnatam ducebant ad mortem. Videns autem quidam eam duci, ait, Tu, quæ deorum iras auertere promittebas, quomodo neque hominum consilium mutare potuisti?

Ad fabulatio.

Fabula significat, multos magna promittentes, ne

parus

*parua quidem facere posse.*

## AGRICOLA.

31

**A**gricola quidam fodiendo aurum reperit: quotidie agitur terram, ut ab ea beneficio affectus, corona=bat. Huic autem fortuna adstantis inquit, Heus tu, cur ter=rae mea munera attribuis quæ ego tibi dedi ditatura te? nam si tempus immutetur, & in alias manus hoc tuum aurum eat, scio te nunc me Fortunam accusaturum.

## Adfabulatio.

Fabula significat, oportere benefactorem cognoscere, atq; huic gratiam referre.

## VIATORES.

32

**D**uo quidam unà iter faciebāt: & cum alter securim reperisset, alter, qui non inuenit, admonebat ipsum, ne diceret inueni, sed inuenimus. Paulo post autem cum aggredierentur ipsos, qui securim perdiderant, qui eam habebat, persequentibus illis, ei qui unà iter faciebat, di=xit, Perijmus. Hic autem ait, Perij, dic:non, perijmus: etenim & tunc, cum securim inuenisti, inueni dixisti, non, inuenimus.

## Adfabulatio.

Fabula significat, qui non fuerunt participes felicitatū, neque in calamitatibus firmos esse amicos.

## RANAE DVAE.

33

**D**væ ranæ uicinæ sibi erant: pascebātur autem altera in profundo stagno, & procul à via: altera in via pa=rum aquæ habens. Verum, cum quæ in stagno, alterā admoneret, ut ad se migraret, ut tutoire cibo frueretur, illa nō paruit, dicens firmissimata teneri huiusc loci cōsuetudine: quo usq; obtigit currū prætereuntem ipsam confringere.

## Adfa

## Adfabulatio.

*Fabula significat, homines quoque parua aggredientes citius mori, quam mutentur in melius.*

A P I A R I V S.

34

**I**N mellarium ingressus quidam domino absente, fāuum abstulit. Hic autem reuersus, ut alueolos uidit inanes, stans quod in his erat perscrutabatur. Apes autem è pastu redeuntes, ut deprehenderunt ipsum, aculeis percutiebant, pessimeq; tractabant. Hic autem ad eas, O pessimæ animātes, furatum uestros fauos illæsum dimisiſtis, me uero fatigentem uestri, percutitis?

## Adfabulatio.

*Fabula significat, sic homines quosdam ob ignorantiam inimicos non cauere, amicos autem ut infidatores repellere.*

A L C E D O.

35

**A**lcedo avis est solitaria, semper in mari uitam degens: hanc dicitur, hominum uenationes cauentē, in scopulis maritimis nidificare. Cæterum aliquando partura, pullos fecit. Egressa autem ea ad pabulum, accidit mare à uehementi concitatum uento, eleuari supra nidum: atque hoc submerso, pullos perdere: hæc uero reuersa, re cognita, ait, Me miseram, quæ terram ut infidiatricem cauens, ad hoc configi, quod mihi longe est infidius.

## Adfabulatio.

*Fabula significat, homines etiam quosdam ab inimicis cauendo, ignaros in multo grauiores inimicis amicos incidere.*

Piscator

**P**iscator in fluuiio quodam pescabatur. Extensis autem retibus, et fluxu comprehenso utrinque, funi aliquo lapide, aquam uerberabat, ut pisces fugientes incaute in retia inciderent. Cum quidam uero ex ijs, qui circa locum habitauit, id facere uideret, increpabat, quod fluuium turbaret, et claram aquam non sineret bibere: et is respondit, sed nisi sic fluuius perturbetur, me oportebit esurientem mori.

## Adfabulatio.

Fabula significat, ciuitatum etiam rectores tunc maxime operari, cum patrias in seditionem induixerint.

## SIMIUS ET DELPHIS.

**M**oris cum esset nauigantibus Melitenses catulos et simios adducere in solamen nauigationis, quidam habebat secum et simium. Cum autem peruenissent ad Sunium Atticæ promontorium, tempestatem uehementem fieri contigit: nauis autem euersa, et omnibus natantibus, natabat et simius. Delphis quispiam ipsum conspicatus, et hominem esse ratus, digressus leuabat, ad terram perferens. Ut uero in Piræo fuit Atheniensium nauali, rogauit simium, an genere esset Atheniensis. Cum autem hic diceret et claris hic esse parentibus, rogauit, an et Piræum sciret. Ratus autem simius de homine eum dicere, ait, et ualde amicum esse ei, et familiarem. At Delphis tanto mendacio indignatus, submergens ipsum occidit.

## Adfabulatio.

Fabula in uiros, qui ueritatem ignorantes, existimant se decipere.

Muscae.

**I**N cella quadam melle effuso, muscæ aduolantes come debant: implicitis autem earum pedibus euolare non poterant: cum uero suffocarentur, dicebant, Miseræ nos, quia ob modicum cibum perimus.

## Adfabulatio.

Fabula significat, multis gulam multorum malorum esse causam.

**M**Ercurius scire uolens, quāti apud homines esset, iuit in statuarij domum transformatus in hominē: & uisa statua Iouis, rogabat, quāti quis ipsam emere posset. Hic autem cum dixisset, dragma, risit. Et quanti Iuno nis, ait? Cum dixisset, pluris: uisa & sua ipsius statua, ac opinatus cum nuntius sit deorum, & lucrosus, maximam de se apud homines haberi rationē, rogauit de se. Statuarius uero ait, Si hasce emeris, & hanc additamentum do.

## Adfabulatio.

Fabula in uirtutum gloriosum, qui nullius apud alios est pretij.

**M**Ercurius uolens Tiresiæ uaticinium an uerum es- set cognoscere, furatus ipsius boues ex rure ue- nit ad ipsum in urbem, similis factus homini, & ad ipsum diuertit. Boum autē amissione renuntiata Tiresiæ, ille as- sumpto Mercurio exiuit, auguriū aliquod de fure cōsyde raturus. Et huic iubet dicere sibi, quamnam auem uiderit. Mercurius autem primum uidisse aquilam à sinistris ad dextram uolantem, dixit. Hic non ad se id esse cū dixisset, secundo

*secundò cornicem super arbore quadam sedentem uidit,  
et modo superius adspicientem, modo ad terram declinata-  
tam, uati refert. Et is re cognita ait, Sed haec cornix iurat  
et cœlum, et terram, si tu uelis, meas me recepturum  
boves.*

Adfabulatio.

*Hoc sermone uti quipiam poterit aduersus uirum  
furacem.*

## CANES.

41

*Habens quidam duos canes, alterum uenari docuit,  
alterum domum seruare. Cæterum siquando uenati-  
cus caperet aliquid, qui domum custodiebat, particeps  
una cum eo erat coenæ. Aegre frente autem uenatico, et  
illi obijcente, quod ipse quotidie laboraret, ille nihil fa-  
ciens suis nutriretur laboribus, respondens ipse ait, Non  
me, sed herū reprehende, qui non laborare me docuit, sed  
labores alienos comessè.*

Adfabulatio.

*Fabula significat, adolescentes qui nihil sciunt, haud  
esse reprehendendos, cum eos parentes sic educauerint.*

## MARITVS ET UXOR.

42

*Habens quidam uxorem, quæ domesticis omnibus  
inimica erat, uoluit scire an etiā erga paternos do-  
mesticos ita afficeretur. Quapropter cū rationabili præ-  
textu ad suum patrem ipsam misit. Faucis uero post die-  
bus ea reuersa, rogauit quomodo aduersus illos habuisset.  
Haec uero cum dixisset, Bubulci et pastores me suspecta-  
bant: ad eam ait, Sed o uxor, si eos odisti, qui mane gre-  
ges agunt, sero autem redeunt, quid sperare oportet in  
ijs, quibus cum tota conuersaris die?*

Adfabulatio.

Fabula

Fabula significat, sic saepe ex paruis magna, & ex manifestis incerta cognosci.

## HOEDVS ET LVPVS.

43

**H**oedus derelictus à grege, persequente lupo, cōueresus ad eum dixit, O' lupe, quoniam credo me tuum cibum futurum, ne iniucunde moriar, cane tibia primum, ut saltem. Lupo autem canente tibia, atque hœdo saltante, canes cum audiissent, lupum persecuti sunt. Hic conuersus hœdo inquit, Merito hæc mihi fiunt, oportebat enim me cocus cum sim, tibicinem non agere.

## Adfabulatio.

Fabula significat, qui ea, quibus natura apti sunt negligunt, quæ uero aliorum sunt, exercere conantur, in infirmitia incidere.

## CANCER ET VVLPES.

44

**C**ancer è mari cum ascendisset, in loco quodam pascitur. Vulpes esuriens ut uidit, accessit, ac eum rapuit. Ille deuorādus ait, Sed ego condigna patior, qui marinus cum sim, terrestris esse uolui.

## Adfabulatio.

Fabula significat, homines, etiam qui proprijs derelictis exercitijs, ea quæ nihil conueniunt aggrediuntur, merito infortunatos esse.

## CITHAROEDVS.

45

**C**itharoedus rudis in domo calce incrustata familiariter, ut solebat, canens, & contra resonante in se uoce, existimabat ualde canorus esse: uerum elatus super hoc, cogitauit & in theatro sese committere oportere. Profectus uero ad se ostendendum, cum male admodum

f caneret,

*canceret, lapidibus ipsum explosum abegerunt.*

Ad fabulatio.

Fabula significat, sic ex rhetoribus quosdam, qui in scholis putant esse aliquid, cum ad res pub. se conserunt, nullius precij esse.

FVRES.

46

**F**ures in domum quandam ingressi, nihil inuenerunt nisi gallum, atque hoc capto, abierunt. Hic ab eis occidendus rogabat, ut se dimitteret, dicens utilem esse hominibus noctu eos ad opera excitando. Hi uero dixerunt, Sed propter hoc te tanto magis occidimus: illos enim excitando, furari nos non finis.

Ad fabulatio.

Fabula significat, ea maxime prauis esse aduersa, quae bonis sunt beneficio.

CORNIX ET CORVVS.

47

**C**ornix coruo inuidens, quod is per auguria hominibus uaticinaretur, ob idq; crederetur uti futura predicens, conspicata uiatores quosdam pretereuntes, iuit super arborem quandam, stansq; ualde crocitauit. Illis uero ad uocem conuersis, et admiratis, re cognita, quidam inquit, Abcamus heus uos, cornix enim est, quae crocitauit, et augurium non habet.

Ad fabulatio.

Fabula significat, eodem modo et homines prestatioribus certantes, preterquam, quod non ad aequa perueniunt, risum quoque debere.

CORNIX ET CANIS.

48

**C**ornix Mineruæ sacrificans, canem inuitauit ad epulas. Ille uero ad eam dixit, Quid frustra sacrificia absuimus? Dea enim adeo te odit, ut ex peculiaribus quoq; tibi

**tibi augurijs fidem subtulerit. Cui cornix, Ob id magis ei sacrifico, ut reconcilietur mihi.** Adfabulatio.

Fabula significat, plerosque ob lucrum non uereri inimicos beneficijs prosequi.

## C O R V V S E T S E R P E N S.

49

**C**oruus cibi indigens, ut serpentem in aprico quodā loco dormientem uidit, hunc deuolando rapuit. Hic cū se uertisset, atq; momordisset ipsum, coruus moritus dixit, Me miserū, qui tale reperi lucrū, quo etiam pereo.

Adfabulatio.

Fabula in uirum, qui ob thesaurorum inuentionem de salute periclitatur.

## M O N E D V L A E T C O L V M B A E.

50

**M**Onedula in columbario quodam columbis uisis bene nutritis, dealbauit sese, iuitq;, ut e& ipsa eodem cibo impertiretur. Hæ uero, donec tacebat, ratæ eam esse columbam, admiserunt: sed cum aliquando oblita uocem emisisset, tunc eius cognita natura, expulerunt percutiendo, eaq; priuata eo cibo, rediit ad monedulas rursum: & illæ ob colorem, cum ipsam nō nossent, à suo cibo abegerunt, ut duorum appetens, neutro potiretur.

Adfabulatio

Fabula significat, oportere & nos nostris contentos esse, consyderantes auaritiam, præterquam quod nihil iuuat, auferre saepe & quæ adsunt bona.

## M O N E D V L A.

51

**M**Onedulam cum quis cepisset, & pedem alligasset filo, suo tradidit filio. Hæc nō ferendo uictū inter homines, ubi parūper libertatē nacta est, fugit, in suumq; f z nidum

*nidum se contulit. Circumuoluto uero ramis uinculo, euō lare haud ualens, cum moritura esset, secum loquebatur, Me miseram, quæ apud homines non ferēdo seruitutem, incaute mea me uita priuauit.*

## Adfabulatio.

*Fabula significat, nonnunquam quosdam, dum se à me diocribus student periculis liberare, in maiora incidere.*

MERCURIUS.

52

**I**Upiter Mercurio iussit, ut artificibus omnibus mendacij medicamentum misceret: hic eo trito, & ad mensuram facto, ex aequo singulis miscet. Cum uero solo relieto sutore, multum superesset medicamenti, totum acceptum mortarium ei miscuit: atque hinc contigit artifices omnes mentiri, maxime uero omnium sutores.

## Adfabulatio.

*Fabula in mendaces artifices.*

IUPITER.

53

**I**Upiter formatis hominibus, omnis illis affectus indit, solum indere pudore oblitus est. Quapropter non habes unde nam ipsum introduceret, per turbam ingredi eum iussit. Hic uero primū indigne ferens contradicebat: uehementius uero eo instante, ait, Sed ego sanè his ingredior pactis, si amor non ingrediatur, sin ingrediatur, ipse exibo quamprimum. Ex hoc sanè euenit, omnia scorta in uerecunda esse.

## Adfabulatio.

*Fabula significat, captos amore inuercundos esse.*

IUPITER.

54

**I**Upiter nuptias celebrans, omnia animalia accipiebat: sola uero testudine tarde profecta, admirans cau-

sam

Sām tarditatis, rogauit eam, quamobrē ipsa ad cōnam nō  
accesserat. Cum hæc dixisset, Domus chara, domus opti-  
ma: iratus ipsi, damnauit ut domum baiulans circūferret:

## Adfabulatio.

Fabula significat, plerosq; homines eligere parce po-  
tius apud se uiuere, quām apud alios laute.

## L V P V S   E T   O V I S.

**L**upus à canibus morsus, & male affectus, abiectus ia-  
cebat. Cibi uero indigens, uisa oue, rogabat ut potū  
ex præterfluente flumine sibi afferret. Si enim tu mihi, in-  
quit, dederis potum, ego cibum mihi ipsi inueniā. Illa re-  
cognita ait, Sed si ego potū do tibi, tu & cibo me utēris.

## Adfabulatio.

Fabula in uirum maleficum, per simulationem insi-  
diantem.

## L E P O R E S.

**L**e pores olim belligerantes cum aquilis, inuocarunt  
lin auxilium uulpes. Hæ autem dixerunt, Vobis auxi-  
liaremur, nisi sciremus qui uos estis, & cum quibus præ-  
liamini.

## Adfabulatio.

Fabula significat, eos, qui cum præstantioribus cer-  
tant, suam salutem contemnere.

## F O R M I C A.

**Q**uæ nunc formica, homo olim fuit: hic agriculturæ  
assidue incubens, non erat proprijs laboribus con-  
tentus, sed & uicinorum fructus surripiebat. Iupiter au-  
tem indignatus huius auaritia, transmutauit eum in hoc  
animal, quæ formica appellatur. Verum cum mutasset for-  
mam, non & affectum mutauit: nam usque nunc arua cir-

cumeundo, aliorum labores surripit, & sibi recondit.

Adfabulatio.

Fabula significat, natura prauos, & si maxime specie transmutauerint, mores non mutare.

V E S P E R T I L I O E T M V S T E L L A. 58

**V**espertilio in terram cū cecidisset, à mustela capta est: & cum occidēda foret, pro salute rogabat. Hac uero dicente, non posse ipsam dimittere, quod natura uolucribus omnibus inimica foret, ait, non auem, sed murem esse: & sic dimissa est. Postremo autem cum iterum cecidisset, & ab alia capta mustela, ne uoraretur orabat. Hac autem dicente, cunctis inimicā esse muribus, hæc nō mus, sed uespertilio esse dicebat: & rursus dimissa est: atque ita euenit bis mutato nomine, salutem consecutam fuisse.

Adfabulatio.

Fabula significat, neque nos in eisdem semper esse oportere, consyderantes eos, qui ad tempus mutantur, perunque pericula effugere.

V I A T O R E S.

59

**V**iatores secundū littus quoddā iter faciētes, iuerunt in ſpeculā quandā, & illic confipati ſarmēta procul natātia, nauim esse magnā existimarunt: quā obrem ex pectarunt, tanquā appulsura ea eſſet. Cum uero à uento lata ſarmenta propius forent, non nauim amplius, ſed ſcapham uidere uidebantur. Aduectis autem illis, cū ſarmenta eſſe uidiffent, inter ſe dixerūt, Ut nos igitur fruſtra, quod nihil eſt, expectabamus?

Adfabulatio.

Fabula significat, non nullos homines, qui ex improviso terribiles eſſe uidentur, cum periculum feceris, nullus

lius

**I**lius esse pretij inueniri.

## ASINVS SYLVESTRIS.

60

**A**sinus sylvestris asino uiso doméstico in loco quodā aprico profectus ad ipsum, beatum dicebat & corporis habitudine, & cibi perceptione . Deinde uerò cum uidisset eum ferentem onera, & agasonem retro sequentem, & baculis ipsum percutientem, ait, Ast ego non amplius beatum te existimabo: uideo enim non sine magnis malis habere te felicitatem. Ad fabulatio.

Fabula significat, non esse emulanda lucra, in quibus insunt pericula, & miseriæ.

## ASINI.

61

**A**sini olim propterea quod assiduè onera ferrent, & fatigarentur, legatos miserunt ad Iouem, solutionē laborum petentes. Hic autem ostendere ipsis uolens, id non fieri, ait, tunc eos liberatum iri laboribus, cum mingendo fluuium fecerint. Ac illi eum uerum dicere existimantes, ex illo & nunc usque, ubi aliorum urinam uiderint asinorum, illic & ipsi circumstante mingunt.

Ad fabulatio.

Fabula significat, unicuique quod fatale est, incurabile esse.

## ASINVS ET VULPES.

62

**A**sinus indutus pelle leonis, uagabatur reliqua bruta perterrendo. Cæterum uisa uulpe, tentauit & hanc perterrefacere. Hæc autem (casu enim ipsius uocem audiuerat) ad ipsum ait, Cōpertum habeto, quod & ego timuissem, nisi rudentem audiuissem. Ad fabulatio.

Fabula significat, non nullos indoctos, qui ijs, qui extra sunt,

sunt, aliqui esse uidentur, ex sua linguacitate redargui.

ASINVS ET RANAE.

63

**A**Sinus ligna ferens, pertrasibat paludem quandam. **A**lapsus autem, ut decidit, nec surgere posset, lamentabatur, ac suspirabat. Ranæ autem quæ erant in palude auditis suspirijs, Heus tu, dixerūt: & quid faceres, si tāto hic tempore, quanto nos, fuisses, cum quia paululum cecidisti, sic lamenteris? Ad fabulatio.

Hoc sermone uti quispiam poterit in uirum segnem, qui ob minimos quoque labores tristatur, cum ipse maioribus facile resistat.

ASINVS ET CORVVS.

64

**A**Sinus ulcerato dorso in prato quodam pascebatur. **A**coruo autem insidendo sibi, & ulcus percutiendo, asinus rudebat, ac saltabat: sed agasone procul stante, ac ridēte, lupus præteriēs, ipsum uidit, & dixit, Miseri nos quos si tantum uiderit, persequitur, huic autē & arridet. Ad fabulatio.

Fabula significat, maleficos homines, si tantum apparet, dignosci.

ASINVS ET VULPES.

65

**A**Sinus & uulpes inita inter se societate, exiuerunt ad uenationem, Leo uero cum occurrisset ipsis, uulpes imminentis periculum uidēs, profecta ad leonem, traditurā ei asinum pollicita est, si sibi impunitatē promiserit. Qui cum dimissurum eam dixisset, illa adducto asino, in casses quosdam ut incideret, fecit. Sed leo uidens illum fugere minime posse, primam uulpe comprehendit: deinde, sic ad asinum uersus est. Ad fabulatio.

Fabula

Fabula significat, eos, qui socijs insidiantur, saepe & seipsoſ nescios perdere.

## GALLINA ET HIRUNDO.

66

**G**allina serpentis ouis inuētis diligenter calcfacta ex=cudit. Hirundo autem cum eam uidisset, ait, O' de=mēs, qui hæc nutris? quæ cum excreuerint, à te prima in=iuriam auſpicabuntur. Adfabulatio.

Fabula significat, implacabilem esse prauitatem, licet afficiatur maximis beneficijs.

## CAMELVS.

67

**C**um primum uisa est camelus, homines perterriti, et magnitudinem admirati fugiebant. Vbi uero proce=dente tempore cognouerunt ipsius mansuetudinem, cōfisi sunt eo usque, ut ad eam accederent. At intellecto paulo=post beluæ non inesse bilem, eò contemptius iere, ut & frena ei imponerent, & pueris agendam traderent.

## Adfabulatio.

Fabula significat, terribiles res consuetudine contem=ptibiles fieri.

## SERPENS.

68

**S**erpens à multis hominibus pessundatus, Iouē postu=slauit. Iupiter autem ad eum dixit, Si qui prior con=culcauit, pupugisses: ne quaqua id facere secundus aggres=sus fuisset. Adfabulatio.

Fabula significat, eos, qui prius inuidentibus resistūt, alijs formidolosoſ fieri.

## COLVMB A.

69

**C**olumba siti corrupta, ut uidit quodam in loco po=culum aq uæ depictum, uerum rata, atq; multo elata  
f s impe

impetu, in scia in tabulam offendit, usq; adeo ut ex pennis ipsius per fractis in terram decideret, atque à quodam occurrentium caperetur. Ad fabulatio.

Fabula significat, non nullos homines ob uchementes alacritates inconsulto res aggredienteis, iniucere se se in perniciem.

## COLUMBA ET CORNIX.

70

**C**olumba in columbario quodam nutrita, fœcunditate superbiebat. Cornix uero ea audita, ait, Heus tu, de sine hac re gloriari: nam, quo plures paris, eo plus mœroris accumulas. Ad fabulatio.

Fabula significat, ex famulis quoque, eos esse infelicitissimos, qui in seruitute multos filios faciunt.

## DIVES.

71

**D**iues duas habens filias, altera mortua, præficas conduxit. Cū uero altera filia dixisset, vt nos misere, ipsæ, ad quas pertinet luctus, lamentari nescimus: hæ uero non necessariæ sic uehementer plangunt: mater ait, Ne mirare filia si hæ ita lamentantur, nam nummorum gratia id agunt. Ad fabulatio.

Fabula significat, non nullos homines ob auaritiam non uereri alienis calamitatibus quæstum facere.

## PASTOR.

72

**P**astor actis in queretū quoddam ouibus, strata sub quercu ueste, ascendit, et fructum decutiebat. Ques uero inter edendum glādes, nesciæ et uestes uno deuorarunt. At cum pastor descendisset, ut quod erat actū, uidit o' pessima, ait, animalia, uos cæteris uellera ac uestes prebetis, à me uero, qui uos nutrio, et uestem surripitis.

Adfa

**A**d fabulatio. Fabula significat, plerosque homines ob dementiam eos, qui nihil attinent, beneficio afficer, in domesticos mala operari.

B V B V L C V S.

73

**B**vbulcus armentum taurorum pascens, amisit uitulum, lustrando omnem solitudinem, indagando moram traxit. Vbi inuenire nihil potuit, precatus est Iouē, si furem, qui uitulum cepit, ostenderit, hœdum in sacrificium oblaturum. Cæterum proficiscens in quercetum quoddam, inuenit à leone deuorari uitulum. Trepidus igitur, & perterrefactus, eleuat is manibus suis in cœlū, ait, O domine Iupiter promiseram tibi hœdum me daturum esse, si furem inuenirem: nunc taurum tibi recipio sacrificatum, si huius manus effugero.

Ad fabulatio.

Fabula in homines infortunatos, qui dum quidpiam amiserint, precantur ut inueniant, cum inuenient, quaerunt effugere.

A Q V I L A.

74

**S**uper petra aquila sedebat, leporem captura: hāc autem quidam percussit sagitta, quæ intra ipsam ingressa est, sed crena cum pennis ante oculos stabat: quam cū uidisset, Et hoc mihi altera mœstitia, quod proprijs peninis inteream.

Ad fabulatio.

Fabula significat, durum esse, cum quis à suis periculum patiatur.

V E R M I S E T V V L P E S.

75

**Q**ui sub cœno celabatur uermis super terrā egressus dicebat omnibus animalibus, Medicus sum medicinum

caminum doctus, qualis est Pæon deorū medicus. Et quo modo, ait uulpes, alios curans, te ipsum claudū non curas? Ad fabulatio.

Fabula significat, nisi præsto experientia fuerit, omne uerbum inane esse.

## GALLINA AVRI PARA.

76

**G**allinam quis habens oua aurea parietem, ratus in= **G**tra ipsam auri massam inesse, occisam alijs gallinis similem reperit. Hic multum speras inuenire diuitiarum, & exiguis illis priuatus est.

## Ad fabulatio.

Fabula significat, oportere contentum esse præsentibus, & fugere inexpleabilitatem.

## LUPVS ET VETVLA.

77

**L**upus esuriens circuibat quærendo cibum. Profectus autem ad locum quendam, audiuit lugentem puerulum, eiq; dicentem anum, Desine plorare: si nūnus, hac hora tradam te lupo. Ratus igitur lupus serio loqui aniculam, expectabat ad multam horam. Sed cum aduenisset uespera, audit rursus anum blandientem puerulo, ac dicentem, Si uenerit lupus huc, interficiemus cum fili. His auditis, lupus eundo dicebat, In hoc tugurio aliud dicunt, aliud faciunt.

## Ad fabulatio.

Fabula in homines, quorū facta uerbis nō respondet.

## DE CVLICE ET LEONE.

78

**C**vlex ad leonem accedens, ait, Neque timeo te, neq; fortior me es: minus mihi adesse virium ideo existimas quod laceres unguibus, & dentibus mordas? hoc et fœmina cum viro pugnans facit. Ego uero longe sum te fortior,

fortior. Si uero uis, ueniamus ad pugnam. Et cum tuba ce-  
cinisset, culex inhæsit mordēs circa nares ipsius leueis ge-  
nas, leo autem proprijs unguibus dilaniauit se ipsum, do-  
nec indignatus est. Culex autem uicto leone cum sonisset  
tuba, & epiniū cecinisset, euolauit. Araneæ uero uincu-  
lo implicitus cum deuoraretur, lamentabatur quod cum  
maximis pugnans, à uili animali aranea occideretur.

## Ad fabulatio.

Fabula in eos, qui prosternunt magnos, & à paruis  
prosternuntur.

**G V I L E L M V S C A-**  
**N O N I C V S D I V I A V R E**  
lij Augustini Florentio suo illustri  
Baroni Iselsteino,  
S. D.



Abulas Aesopi cum ex oratione ligata  
in solutam uertissim, tibi florentissime  
Florenti dicare placuit: quam enim sis  
amans literarum, ex meo Antonio uiro  
literatissimo facile intelligo. Nam eum  
tu quidem quod eruditum scires, acciuisti, & is tui aman-  
tiissimus est, cū ob alia quædam, tum ob amorē tuum erga  
literatos. Neq; illud præterire debeo, me quoq; à te uehe-  
menter amari, & te commendante magistro Antonio suc-  
censum desiderio nostri. Apprime sanè decere solet, qui  
genere sit illustris, eū esse amicum et familiarem literarū,  
quæ ut cætera cōmoda earum fileā, uel solæ adeò faciunt  
immortalem

immortalem. Erit autem harum fabularum lectio tibi, ut opinor, utilis, quippe ubi multa ad bene uiuendum apposita inuenies, grata certe earum lectio, & iucunda non esse non potest. Hactenus autem eas illis, qui alias complures scripserint, fuisse neglectui, satis miror, nec equidem tamē scripturus fuisset, ni & Titus Liuius harum in historia meminisset, & Flaccum nostrum in epistola usum uiderem, & Quintilianum institutionum libris utendum suadere cernerem. Sed satis iam exordij. Illud te admonitum uelim, ne sis inscius, animantes, quae iam mutae sunt, olim fuisse loquaces. Vale, & me, ut facis, ama.

## DE GALLO GALLINACEO. 1

**G**allus gallinaceus dum uerrit ~~stercorarium~~, offendit gemmam, Quid, inquiens rem sic nitidam repe-  
rio? Si gemmarius reperisset, nihil esset eo laetius, ut qui pretium sciret. Mihi quidem nulli est usui, nec magni aesti-  
mo, imo equidem omnibus gemmis granum ordei malim.

## Morale.

Per gemmam artem, sapientiamq; intellige, per gallū hominem stolidum & uoluptarium. Nec stolidi artes liberales amant, cū usum earum nesciant, nec uoluptarius, quippe cui una placeat uoluptas.

## DE L V P O E T A G N O. 2

**L**upus ad caput fontis bibēs, uidet agnū procul infra bibentem. Accurrit, agnum increpitat, quod turbavit fontem. Trepidare agnus, supplicare, ut parcat innocēti. Se quādo longe infra biberit, potum lupi ne potuisse quidem turbare, nedum uoluisse. Lupus contrā intonat, Ni-  
hil agis sacrilege, semper obes. Pater, mater, omne tuum inuisum

*inuisum genus, sedulo mihi aduersatur. Tu mihi dabis ho-  
die pœnas.*

Morale.

*Vetus dictum est, ut canem cædas facile inueniri bacu-  
lum. Potens si libet nocere, facile capit nocendi causam: sa-  
tis peccauit, qui resistere non potuit.*

DE M V R E ET R A N A .

3

**B**Ellum gerebat mus cum rana, De paludis certaba-  
tur imperio. Pugna erat uehemens, & anceps: mus  
callidus sub herbis latitans, ex insidijs ranam adoritur: ra-  
na uiribus melior, pectore, & insultu ualēs, aperto marte  
hostem laceſſit. Hasta utriq; erat iuncea. Quo certamine  
procul uiso, miluus adproperat: dumq; præ studio pu-  
gnæ, neuter sibi cauet, utrunque bellatorem miluus rapit,  
ac laniat.

Morale.

*Itidem euenire solet factiosis ciuibus, qui accensi libi-  
dine dominandi, dum inter se certant fieri magistratus,  
opes suas, plerunque etiam uitam in periculo ponunt.*

DE C A N E ET U M B R A .

4

**C**Anis tranans fluuium, rictu uehebat carnem. Splen-  
dente sole, ita ut fit, umbra carnis lucebat in aquis.  
Quā ille uisam auide captans, quod in faucibus erat per-  
didit. Itaq; tum rei, tum ſpeii iactura percussus, primum  
ſtupuit, deinde animum recipiens, ſic elatruit, Miser de-  
erat cupiditati tuæ modus: ſatis ſuperq; erat ni desipuiffes.  
Iam per tuam ſtultitiam minus nihilō tibi eſt.

Morale.

*Monemur hac fabella modeſtiæ, monemur pru-  
dentiæ: ut & cupiditati ſit modus, ne certa pro incer-  
tis amittamus. Aſſute certe Terētianus ille Sannio, Ego,  
inquit,*

*inquit, spem precio non emam.*

DE LEONE ET QVIBVS DAM ALIIS. 5

**C**VM oue quibusdāq; alijs pepigerat leo, uenationē fore communem:itur uenatum:capitur ceruus. Partiūtur. Singulas singulis partes tollere ut conuenerat incipiētibus, Leo rugit, Vna, inquiēs, pars mea est, quia sum dignissimus. Altera itidem mea est, quia uiribus præstans tissimus. Porrò quia in capiendo ceruo plus sudauerim, uendico tertiam. Quartam denique partem ni concesseris, actum est de amicitia. Socij hoc audito, discedunt uacui, et taciti, non ausi mutire contra leonem. Morale.

Rara semper fuit fides, apud hoc seculum rarer est: apud potentes, et est, et fuit semper rarissima. Quocirca satius est ut uiuas cum pari. Qui enim cum potentiore uiuit, necesse habet saepe de suo iure cōcedere, cum æquale æquale tibi ius erit.

DE LVPO ET GRVE. 6

**L**VPO uorāti ouem, forte ossa hædere in gula. Ambit, orat opem, opitulatur nemo. Omnes dicitant tulisse eum premium uoracitatis. Tandem blanditijs multis pluribusq; promissis gruem inducit, ut collo longissimo in gulam inserto, os infixum eximeret. Petenti autē præmium illusit, Inepta, inquit, abi: non sat habes quod uiuis, uitam debes mihi. Si libuisset, licuit præmordere collum tuum.

Morale.

Tritum est, Perire quod facis ingrato.

DE RVSTICO ET COLVBRO. 7

**R**USticus repertum in niue colubrum frigore propè renectum, domum tulit, abiecit ad focum. Coluber ab igni

*ab igni uim, uirusq; recipiens, deinde flammā non ferens,  
omne tugurium sibilando infecit. Accurrit, rusticus corre-  
pta sude, uerbis, uerberibusq; cum eo iniuriā expostulat,  
Num hanc referat gratiam? num uitam erepturus sit illi,  
qui uitam ipsi dederit?*

## Morale.

*Fit interdum ut obsint tibi quibus tu profueris, & ma-  
le de te mereantur ij, de quibus tu bene sis meritus.*

## DE A PRO ET ASINO.

8

**D**VM iners asinus irrideret aprū, ille indignans fren-  
debat. Malum quidem ignauissime fueras meritus,  
sed etiā si tu pœna fueras dignus, tamen ego indignus, qui  
à te pœnas sumam. Irride tutus, impunè tibi licet, tutus  
enim es ob inertiam.

## Morale.

*Demus operam, ut cum indigna nobis audimus, aut pa-  
timur, ne indigna nobis dicamus, aut faciamus. Mali enim  
& perditi plerunque gaudent, si quispiam bonorum eis  
resistat, magni pendunt haberi se dignos ultione. Imita-  
mur equos, & magnas bestias, qui oblatrantes caniculos,  
cum contemptu prætereunt.*

## DE M V R E V R B A N O E T M V R E

rustico.

9

**I**bitum est urbano muri deambulare rus. Vedit hunc  
mus rusticus, inuitat, apparatur, itur cœnatum. De-  
promut rusticus, quidquid posuerat in hyemem, & ex-  
haurit omne penu, ut tanti hospitis expleat lauitiam. Ur-  
banus tamen frontem corrugans, ruris damnat inopiam,  
urbis subinde laudat copiam. Remeans dicit secum in ur-  
bem rusticum, ut quæ uerbis iactitarat, re comprobaret.

g

Ineunt

Ineunt conuiuum, quod urbanus splendide compararat. Inter epulandum auditur in sera murmur clavis, trepidare illi, & fugitare fugitudo. Rusticus & insuetus, & loci ignarus ægre se tueri. Discedente famulo redit urbanus ad mensam, uocat rusticum, ille uix tandem metu deposito prorepit. Inuitantem ad pocula urbanum percunctatur, num hoc periculum crebrum sit? Respondit ille quotidianum esse, oportere contemni. Tum rusticus, Quotidianum, inquit: Me hercle istæ dapes plus fellis quam melis sapiunt. E quidem malo cum securitate meam inopiam, quam cum tali anxietate istam copiam.

## Morale.

Diuitiae præ se ferunt quidem uoluptatem, sed si inspicias, habent pericula & amaritudinem. Eutrapeles quidem fuit, qui cum inimicis suis quam maxime nocere uellet, diuites eos faciebat, dictans ita se eos ulcisci, quippe accepturos cum diuitijs ingentem sarcinam curarum.

## DE AQVILA ET CORNICULA. IO

Aquila nacta cochleam, non ui aut arte quiuit eruere apiscem. Accedens cornicula dat consilium. Suadet subuolare, & è sublimi cochleam in saxa præcipitare, sic enim fore, ut concha frangatur. Humi manet cornicula, ut præstoletur casum, præcipitat aquila, frangitur testa, subripitur piscis à cornicula, dolet clusa aquila.

## Morale.

Noli quibusuis habere fidem: & consilium, quod ab alijs acceperis, fac inspicias. Multi enim consulti, non suis consultoribus, sed sibi consulunt.

## DE CORVO ET VULPECULA. 11

Prædam

**P**rædam nactus strepitat in ramis Coruus. Videt uulpecula gestientem, accurrit, Coruum, inquit, plurima salute impertit uulpes. Sæpen numero audieram famam esse mendacē, iam re ipsa experior. Nam ut hāc forte iam prætereo, suspiciens te in arbore, aduolo culpans famam. Fama enim est, te nigriorem pice esse, & uideo cādidiōrem niue. Meo sanè iudicio cygnos uincis, & hædera formosior alba es. Quod si ut plumis, ita & uoce excellis, omnium auium equidem te dixerim reginā. Hac assentatiuncula illectus coruus, ad canendum apparat, appa= ranti uero è rostro excidit caseus, quo correpto, Vulpecula cachinnum tollit. Tum demum miserum Coruum pudet, pigetq; sui. Et iactura rei mixta pudore dolet.

## Morale.

Nonnulli sic audi laudis sunt, ut cum suo probro & damno ament assentatorem. Eiusmodi homunciones prædæ sunt parasitis. Quòd si uitaueris iactantiā, facile assentatorum pestiferum genus uitaueris. Si tu uolcs esse Thraſo, nusquam deerit Gnatho.

## DE LEONE SENECTUTE CONFECTO. 12

**L**eo qui in iuuentute complures sua ferocitate fecerat inimicos, in senectute exoluit pœnas. Reddunt talionem bestiæ. Dente aper, cornu petit taurus. In primis asellus, uetus ignauiae nomen cupiens abolere, uerbis & calci bus strenue insultat. Tum gemebūdus leo, Hi quibus olim nocui, iam uicissim nocent, & merito. Sed hi quibus aliquando profui, iam uicissim non prosunt, imò etiam immerito obsunt. Stultus fui, qui multos fecerim inimicos, stultior qui falsis amicis confisus fuerim.

## Morale.

*In secundis rebus non efferaris, non sis ferox. Nam si uultum mutarit fortuna, ulciscentur quos læsistī. Et inter amicos fac habeas discrimē. Sunt enim quidam amici non tui, sed mensæ tuæ, sed fortunæ tuæ. Quæ quidem fortuna simul ac mutata erit, & illi mutabuntur. Et bene tecum actū erit, si nō inimici fuerint. Merito queritur Ouidius: En ego non paucis quondam munitus amicis,*

*Dum flauit uelis aura secunda meis,  
Ut fera nimboſo tumuerunt æquora uento,  
In medijs lacera puppe relinquor aquis.*

DE CANE ET ASINO.

13

*D*um blandiretur canis hero, & familiæ herus & familia canem demulcet: asellus id uidens, altius gerit, cœpit eum pigere suæ sortis, inique putat comparatum; canem gratum esse cunctis, pasciq; de mensa herili, idq; ocio ludoq; consequi. Sese cōtrà portare clitellas, cædi flagello, nunquam ociosum esse, & cunctis tamē odiosum. Si hæc fiant blanditijs, eam artem, quæ tam utilis sit, statuit sectari. Igitur quodam tempore redeunti domum hero, rem tētaturus, procurrit obuiam, subsilit, pulsat unguis: exclamāte hero, accurrere serui, & ineptus asellus, qui se urbanum credidit, fuste uapulat.

## Morale.

*N*on omnia possumus omnes (ut ait Virgil. in Bucolicis) nec omnes omnia decent, id quisque uelit, id tentet quod possit. Non simus id quod Græce significantius dicitur ἵνα λύρας, id est, asinus lyrarum, uel lyrae. Sic autem Boetius, Asinus ad lyram positus. Repugnante natu

ra

ra irritus est labor. Tu nihil inuita facies dices' ue Minerua, teste Horatio.

## DE LEONE ET MURE.

14

**L**eo æstu cursuq; defessus, sub umbra fronde super ui ridi quiescebat. Murium autem grege tergum eius percurrente, expperrectus, unū è multis cōprehendit. Sup plicat captiuus, indignū se esse cui leo irascatur clamitat: reputans ille in nece tantillæ bestiolæ nihil esse laudis, captuum dimittit. Nec uero ita multo post, leo forte dum per saltum currit, incidit in plagas. Rugire licet, exire nō licet. Rugientem miserabiliter leonem mus audit, uocem agnoscit, repit in cuniculos, laqueorū quærerit nodos, quæ sitos inuenit, inuentos corrodit, leo è plagiis euadit.

## Morale.

Hæc fabella suadet potentibus clementiam. Etenim ut sunt res humanæ instabiles, egent interdum ipsi potentes ope humiliorum. Quare uir prudens, & si potest, timebit uel ulli hominum nocere. Qui autem non timet nocere alteri, ualde desipit. Quid ita? Quia & si iam potentia fretus neminem metuis, forsitan olim erit ut me tuas. Constat enim euenisse claris, magnisq; regibus, ut uilium homunctionum, uel gratia indiguerint, uel iram metuerint.

## DE MILVO AEGROTO.

15

**L**ecto decumbebat miluus. Iam fermè moriens matrem orat precatum ire deos. Mater respondet, nil opus illi sperandum à dijs, quorum sacra, & aras suis rapinis toties uiolasset. Morale.

Decet uenerari superos. Illi enim piis iuuant, impios

*auersantur. Infelicitate neglecti, in miseria nō exaudient.*  
*Quare in secundis rebus sis eorum memor, ut in aduersis*  
*rebus præsentes sint uocati.*

## DE HIRVNDINE ET ALIIS

auiculis.

16

**C**VM primum cœptum est seri linum, hirundo suadet  
 auiculis impedire sementem, dictitans, sibi fieri insi-  
 dias. Irrident illæ, stultam uatem hirundinem uocant. Sur-  
 gente iam lino & uirescente, rursus monet euellere fata.  
 Iterum irrident. Maturescit linum, hortatur populari se-  
 getem. Cum ne tunc quidem consulentem audirent, birū-  
 do auium cœtu relicto, hominis sibi conciliat amicitiam.  
 Init cum eo fœdus, cohabit, cantu demulcet. Cæteris aui-  
 bus è lino fiunt retia & laquei. Morale.

Multi nec ipsi consulere sibi norunt, nec recte consu-  
 lentem audiūt. Sed cum in periculis sunt & damnis, tum  
 demum sapere incipiunt, & suam damnare secordiam.  
 Tum sat superq; consilij est, Hoc inquiunt, & illud fa-  
 etum oportuit. Sed præstat esse Prometheus, quam Epi-  
 metheum. Fuere hi fratres, nomina sunt Græca. Alteri cō-  
 filium ante rem fuit, alteri post rem, quod declarat inter-  
 pretatio nominum.

## DE RANIS ET EARVM REGE. 17

**G**ENS ranarum, cum esset libera, Ioui supplicabat dæ-  
 ri regem. Ridere Iupiter uota ranarum: illæ tamen  
 iterum atque iterum instare, donec ipsum perpellerent.  
 Deicxit ille trabem, ea moles ingenti fragore quaßat flu-  
 uium, territæ silent ranæ, regem uenerantur. Accedunt  
 pedetentim proprius: tandem abiecto metu, insultant &  
 desul

desultant: iners rex lusui est, & contemptui. Lacessunt rursum Iouem, orant regem dari qui strenuus sit. Dat Iupiter ciconiam. Is præstrenue perambulans paludem, quidquid ranarum obuiam fit, uorat. De huius igitur sæuitia ranæ frustra questæ sunt. Iupiter non audit, nam & hodie adhuc queruntur. Vesperi enim ciconia cubitū eunte: ex antris egressæ, rauco ululatu murmurant, sed surdo canunt. Vult enim Iupiter, ut quæ regem clementem sint deprecatae, iam frant inclementem.

## Morale.

Perinde atq; ranis, euenire solet plebi, quæ si regē paulo mansuetiore habet, ignauū, inertem esse causatur, optat aliquando contingere sibi uirum. Contrà si quando nacta est regem strenuum, huius sæuitiam damnat, prioris laudat clementiam: siue quod semper præsentiu nos pœnitet, siue quod uerū est uerbum: Noua ueteribus non esse potiora.

## DE C O L V M B I S   E T   E A R V M

rege accipitre.

18

**C**olumbæ olim bellū gessere cum miluo, quem ut expugnarent, delegerunt regem accipitrem. Ille rex factus, hostem agit, non regem. Non segnius ac mulius, rapit ac laniat. Pœnitet columbas incepti, satius fuisse putantes, pati bella milui, quam tyrannidem accipitris.

## Morale.

Neminem suæ sortis nimium pigeat. Nihil est (teste Flacco) ab omni parte beatum. Evidem meam sortem, modo tolerabilis sit, mutari non optem. Multi noua sorte quæsita, ueterem rursus optarunt. Ita plerique ingenio sumus omnes, nosmet nostri pœnitet.

**F**uri aliquando panem (ut sileat) porrigenti, respondit canis, Insidias tuas noui, panem das quod desinam latrare: sed ego tuum munus odi, quippe si ego tulero panem, tu ex his tectis cuncta asportabis. **Morale.**

Caue parui commodi causa, amittas magnum: caue cui uis homini fidem habeas. Sunt enim qui dolo non tantum benigne dicunt, sed et benigne faciunt.

## DE LVPO ET SVCULA.

20

**P**arturiebat Sucula, pollicetur lupus se custodem fore foetus. Respondit puerpera, lupi obsequio se non egeret: si uelit pius haberet, si cupiat gratum facere, longius abeat. Lupi enim officium constare, non præsentia, sed absentia. **Morale.**

Non sunt cuncta credenda cunctis. Multi suam operam pollicentur, non tui amore, sed sui, suum querentes comodum, non tuum.

## DE PARTV MONTIVM.

21

**O**lim rumor erat parturire montes, homines accur- runt, circumfistunt, monstri quippe non sine pa- uore expectantes. Pariunt tandem montes, exit mus, tum omnes risu emori. **Morale.**

Hanc fabellam tangit Horatius, Parturiunt montes, in- quit, nascetur ridiculus mus: notat autem iactantiam. Ia- etabundi enim cum magna profitentur, et ostentant, uix parua faciunt. Quapropter Thrasones illi iure sunt ma- teria ioci, et scommatum. Vetat item haec fabella inanes timores. Plerunque enim grauior periculo est periculi me- tus, imò ridiculum est, quod metuimus.

De cane

DE CANE VETVLO, QVI AB  
hero contemnitur.

22

**C**anem uenaticum, qui iam senuerat, instigat herus,  
frustra hortatur, tardi sunt pedes, non properat. Pre-  
henderat feram, ~~fera edentulo elabitur~~. Increpitat herus  
~~uerbere & uerbo~~. Canis respondet debere sibi iure igno-  
sci, iam senuisse, at iuuem fuisse strenuum. Sed ut video,  
inquit, Nil placet sine fructu. Iuuem amasti, senem odi-  
sti. Amasti ~~prædabundum~~, odisti tardum edentulum. Sed  
si gratus essem, quem olim iuuem frugis causa dilexisti,  
senem fructuosæ iuuentutis gratia diligeres. Morale.  
Recte canis, Nam teste Nasone,  
Nil nisi quod prodest charum est, en detrahe menti  
Spem fructus auidæ, nemo petendus erit.  
Præteriti commodi nulla est memoria: futuri autem gratia  
non magna, præsentis commodi summa.  
Turpe quidem dictu, sed si modo uera fatemur,  
Vulgus amicitias utilitate probat.

DE LEPORIBVS IN ANITER  
timentibus.

23

**S**ylua insolito mugiente turbine, trepidi lepores rapi-  
de occipiunt fugere. Fugientes, cum obssisteret palus,  
stetere anxij, utrinque comprehensi periculis. Quoq; ma-  
ioris esset incitamentum timoris, uident in palude mergi-  
ranas. Tum ex leporibus unus prudentior cæteris, ac di-  
sertior, Quid, inquit, inaniter timemus? Animo opus est.  
Corporum quidem agilitas nobis est, sed animus deest.  
Hoc periculum turbinis non fugiendum, sed est conte-  
nnendum. Morale.

*Omni in re opus est animo. Iacet uirtus sine confiden-  
tia. Confidentia enim dux, & regina uirtutis est.*

## DE HOEDO ET LVPO. 24

**C**apra cum esset pastum itura, hœdum domi conclu-  
dit, monens aperire nemini, dum redeat ipsa. Lupus,  
qui id procul audierat, post matris discessum pulsat fores,  
uoce caprisat, iubens recludi. Hœdus dolos præsentiens,  
Non aperio, inquit, nam & si uox caprisat, tamen equi-  
dem perrimulas lupum uideo.

## Morale.

*Obaudire parenti filios, ipsis est utile, & iuuenem se-  
ni decet auscultare.*

## DE CERVO ET OVE. 25

**C**eruuus coram lupo ouem ream facit, modium tritici  
debere clamitans. Ouis debiti quidem erat inscia, tam  
men ob lupi præsentiam spondet se daturam: dicitur solu-  
tioni dies. Dies adest, monet ceruuus ouem. Illa it inficias.  
**Q**uod enim promiserit excusat factum in metu, & præsen-  
tia lupi, Votum extortum non esse seruandum.

## Morale.

*Sententia iuris est, Vim ui repellere licet. Ex hac fabel-  
la noua quedam nascitur, Fraudem fraude refellere licet.*

## DE RVSTICO ET ANGVI. 26

**R**usticus quidam nutrierat anguem. Iratus aliquan-  
do, bestiam petit securi. Euadit illa non sine uulne-  
re. Postea rusticus deueniens ad paupertatem, ratus est id  
infortunij, propter anguis iniuriam sibi accidere, igitur  
supplicat angui, ut redeat. Ille ait ignoscere se, sed redire  
nolle. Neque enim fore securum cum rustico, cui tanta sit  
domi

domi securis. Liuorem uulneris desijisse, superesse tamen memoriam.

## Morale.

Ei qui semel fidem soluit, iterum habere fidem uix est tutum. Iniuriam quidē donare, id sanè misericordiae est: cauere autem sibi, & decet, & prudentiae est.

## DE VVLPECVLA ET CICONIA. 27

**V**ulpecula uocarat ciconiam ad cœnam. Obsonium in mensam effundit: quod quum liquidum esset, ciconia frustra rostro tentante, uulpecula lingit. Abit elusa uis, pigetq; pudetq; iniuriæ. Post plusculum dierum redit, inuitat uulpeculam. Vitreum uas situm erat plenum belli obsonij. Quod quidem uas quum esset arcti guttulis, uulpeculæ obsonium licuit uidere, & esurire, gustare non licuit. Ciconia rostro facile exhausit.

## Morale.

Risus risum, iocus iocum, dolus dolum, fraus meretur fraudem.

## DE LVPO ET CAPITE PICTO. 28

**L**opus in officina sculptoris caput humanum reperitum uersat, miratur, sentiens, id quod erat, nihil habere sensus. O' pulchrum, inquit, caput: Est in te artis nullum, sed sensus nihil.

## Morale.

Externa pulchritudo si assit, grata est: sin alterutra carendū est, præstat externa quam interna careas. Illa enim sine hac interdum incurrit odium, ut stolidus eo sit odiosior, quo formosior.

## DE GRACVLO.

Graculus ornauit se plumis pauonis. Deinde pulchellus sibi uisus, fastidito genere suo, contulit se ad pauonum

genus

*lucian. ο λόγιος  
τον πάντας καλούσιν,  
πηλούς δέ τοι ποιεῖται  
μαλεψίων πλεγμάτων*

genus. Illæ tandem intellecta fraude, stolidam auem coloribus nudarunt, et plagis affecerunt. Horatius hanc fabellam primo epistolarum libro narrat de cornicula. Ait eam olim adornatam collectis quæ auibus exciderant plumis: post ubi unaqueq; auium suam plumā decerpserat, ridiculum fuisse.

Ne si forte suas repetitum uenerit olim  
Grex auium plumas, moueat cornicula risum,  
Furtiuis nudata coloribus. Morale.

Notat hæc figura eos qui se gerunt æquo sublimius, qui cum his uiuunt qui et ditiores sunt, et magis nobiles. Quare saepe inopes fiunt, et sunt ludibrio. Probe Iuuenalis monet: E' cœlo descendit, οὐδεὶς σταυρόν, hoc est, Nosce te ipsum.

## DE MUSCA ET FORMICA.

30

**M**usca altercabatur cum formica se nobilem, illam ignobilem: se uolitare, illam repere: se uersari in tectis regum, illam cauernis latere: se getem rodere, aquam bibere, se splendide epulari iactitabat, et hæc tamen ocio nancisci. E' regione formica se nō ignobilem esse, sed suis natalibus contentam, muscam uagam esse, se stabilem, sapere formicæ grana et fluenta, quod muscæ pastilli et uina. Atque hæc se non segni ocio, at strenua opera nancisci. Porro formicam lætam esse et tutam, charam omnibus, exemplar deniq; laboris: Muscam anxiam cum pericolo esse cunctis infestam, cunctis inuisam, exemplar deniq; segniciei. Formicam hyemis memorem, alimēta reponere: muscam in diem uiuere, hyeme aut esurituram, aut certe morituram.

Morale.

Qui

**Q**ui pergit quæ uult dicere, quæ non uult audiet. Musca si bene dixisset, bene audisset. Assentior autem formicæ: Videtur enim optabilior uita obscura cū securitate, quam cum periculo splendida.

## DE RANA ET BOVE.

31

**R**Ana cupida æquandi bouē, se distentabat. Filius horabatur matrem cœpto desistere. Nihil enim esse ranam ad bouem. Illa secundū intumuit, clamitat natus: Crepes licet mater, bouem nunquam uinces. Tertium autem quum intumuisset, crepuit. Morale.

Cuiq; sua dos est. Hic ferma, ille uiribus, hic opibus, ille pollet amicis. Vnumquenq; suo decet esse contentum. Valet ille corpore, tu ingenio. Quocirca quisq; semet cōsulat, ne inuidiat superiori, quod miserum est: nec, quod stultitiae est, certare optet.

## DE EQVO ET LEONE.

32

**V**Enit ad equum comedendum leo. Carens autem præsenecta uiribus, meditari cœpit artem, medicum se profitetur, uerborum ambage equum moratur. Hic dolo dolum, artem opponit arti. Fingit se nuper in loco spino so pupugisse pedem, orat ut inspiciens sente medicus ducat. Paret leo. At equus quanta potuit ui, calcem leoni impingit, & se continuo conijcit in pedes. Leo uix tandem ad se rediens, iictu enim propè exanimatus fuerat, pretiū, inquit, fero ob stultitiam, & is iure effugit. Dolum enim dolo ultus est. Morale.

Odio digna est simulatio, & simulatione capienda: Non est timendus hostis, qui hostem præ se fert, sed qui quum hostis sit, benevolentiam simulat, is demum timendus

dus, et odio dignissimus.

DE EQVO ET ASINO.

33

**E**quus phaleris sella<sup>q</sup>; exornatus, cum ingenti hin-  
nitu per viā currebat. Currenti autē onustus asellus  
forte obstabat. Equus ira fremebūdus, et frena ferox spu-  
mantia mādens: Quid inquit, tarde, ignave obſistis equo?  
Cede inquam, aut proculco te pedibus. Asellus contraru-  
dere non ausus, cedit tacitus. Equo autem prouolanti, et  
cursum intendentī crepat inguen. Tum cursui et ostendit  
tui inutilis, ornamentiſ ſpoliatur, dein carrario uenditur.  
Videt poſtea cum carro uenientem asellus, et affatur:  
Heus bone uir, quid iſthuc ornati eſt? Vbi aurata ſella,  
bullata cingula? Vbi nitidum frenum? Sic amice neceſſe  
fuit euenire ſuperbienti. Morale.

Pleriq; in ſecundis rebus elati ſunt, nec ſui memores,  
nec modetiæ. Sed quia proſperitate inſoleſcunt, aduersi-  
tatem incurruunt. Eos qui felices uidentur, monuerim eſſe  
cautos. Etenim ſi rota fortunæ circumacta fuerit, ſentient  
miferrimum genus infortunij eſſe, fuiffe felicem. Accedet  
ad cumulū infelicitatis id quoq; mali, Cōtemnentur ab ijs,  
quos ipſi cōtempſere, et illudent eis ij, quos ipſi riſere.

DE AVIBVS ET QVADRVE

PEDIBVS.

34

**A**vibus pugna erat cum quadrupedibus. Utrinque  
ſpes, utrinque metus, utrinque erat periculum. Ve-  
ſpertilio autem relictis ſociis defecit ad hostes. Vincunt  
aves duce et auſpice aquila. Trans fugam uero uesperti-  
lionem damnant, uti ne ad aues unquam illi ſit redditio, uti  
ne luce unquam ſit uolatus. Hæc cauſa Vefpertilionis eſt,  
ut non

ut non nisi noctu uolet.

Morale.

*Qui cum socijs aduersitatis & periculi particeps esse  
renuit, prosperitatis & salutis expers erit.*

DE LVPO ET VVLPE.

35

**L**upus quum prædæ satis esset, in ocio degebat. Accedit uulpecula, sciscitur ocij cauſsam. Sensit lupus insidias fieri suis epulis, simulat morbum esse causam, orat uulpeculam deprecatum iri deos. Illa dolens dolum non succedere, adit pastorem, monet petere latebras lupi: hostem enim securum posse inopinato opprimi. Adoritur pastor lupum, mactat. Illa potitur antro & præda. Sed fuit illi breue sceleris sui gaudium. Nam non ita multo post, idem pastor & ipsam capit.

Morale.

Fœda res inuidia est, & ipsi interdum autori quoque perniciosa. Flaccus epistolarum primo:

*Inuidus alterius rebus marcessit opimis.*

*Inuidia Siculi non inuenere tyranni*

*Maius tormentum.*

DE CERVO.

36

**C**eruus in perspicuo fonte se conspicatus, probat pro cera frontis & ramosa cornua: sed tibiarum exilitatem damnat. Forte dum contemplatur, dum iudicat, intervenit uenator. Fugit ceruus ocyor pilis, & agente nimbos ocyor Euro. Infectantur fugientem canes. Sed quum intrasset condensam syluam, implicita sunt ramis cornua. tum denum tibias laudabat, & cornua damnabat, quæ cere ut præda esset canibus.

Morale.

*Fugienda petimus, petenda fugimus. Placent quæ officiunt, quæ conferunt displicent. Beatitudinem cùpimus,*

pimus, priusquam ubi sit intelligamus. Opum excellētiam & honorum celsitudinem quærimus: in his beatitudinem sitam opinamur, in quibus tamen multum laboris est & doloris. Pulchre id significat Lyricus ille noster,

Sæpius uentis agitatur ingens  
Pinus, & celsæ grauiore casu  
Decidunt turres, feriuntq; summos  
Fulgura montes.

## DE VIPERA ET LIMA.

37

**I**N fabrica offendens limam uipera, cœpit rodere. Subrisit lima, Quid, inquiens, inepta? Quid agis? Tu tibi antè contriueris dentes, quām me atteras: quæ duritiam eris præmordere soleo.

Morale.

Etiam atq; etiam uide, qui cum tibi res sit. Si in fortio-

*figuræ manus* trem dentes acuis, non illi, sed tibi nocueris.

## DE LVPIS ET OVIBVS.

38

**L**Vpis & agnis, quibus discordia est, fœdus aliquando fuit, datis utrinque obsidibus. Lupi suos catulos, oves canum cohortem dedere. Quietis ouibus ac pascen-  
tibus, lupuli matrum desiderio ululatus edunt. Tum lupi irruentes, fidem fœdusq; solutum clamitant, ovesq; canū præsidio destitutas laniant.

Morale.

Inscitia est, si in fœdere tua præsidia hosti tradas. Nam qui hostis fuit, hostis forsan nondum esse desijt. Fortassis & causam ceperit, quur te nudatum præsidijs adoriatur.

## DE SYLVA ET RVSTICO.

39

**Q**uo tempore etiam arboribus suus sermo erat, uenit rusticus in syluam, rogans ut ad securim suam tollere

tolleret liceat capulum. Annuit sylua. Rusticus aptata securi cœpit arbores succidere. Tum, & quidem sero, penituit syluam sue facilitatis. Doluit se ipsam esse causam sui exitij.

Morale.

De quo bene merearis uide. Multi fuere, qui accepto beneficio in autoris abusi sunt perniciem.

DE MEMBRIS ET VENTRE. 40

**P**Es & manus uentrē olim incusarunt, quod ab ocioso eo lucra ipsorum uocarentur. Iubent aut laboret, aut ali ne petat. Supplicat ille semel atque iterum: negant tamen manus alimentum. ~~Exhausto inedia uentre~~, ubi cœ pere omnes artus deficere, tum manus uoluit tandem officiosa esse, uerū id sero. ~~Nam uenter~~ desuetudine debilis, cibum repulit. Ita cuncti artus dum uentri inuident, cum uentre pereunte pereunt.

Morale.

Perinde atque in membrorum societate est, ita habet se societas humana. Membrum eget membro, amicus eget amico. Quare mutuis operis & mutuis officijs utendum est. Neque diuitiae, neque dignitatum apices hominem satis tuentur. Vnicum & summum præsidium, compluriū amicitia est.

DE SIMIA ET VULPECULA. 41

**S**Imia uulpeculam orat, ut partem caudæ sibi donet, sad tegendas nates. Illi enim esse oneri, quod sibi foret usui & honori. Respondet illa, nihil nimis esse, & se malle humum cauda sua uerri, quam simiae nates tegi.

Morale.

Sunt qui egeant, sunt quibus superet. Nulli tamen diuitum id moris est, ut re superflua beet egenos.

b De Ceruo

**C**eruus uenatorem fugiens, coniecit se in stabulu. Bo-  
ques orat ut in præsepe latitare liceat. Boues tutum  
esse negant: mox enim & dominum & famulum affutu-  
ros. Ille securum se esse ait, modo ne ipsi prodant. Intrat  
famulus occultum fœno non uidet: exit. Gestire ceruus,  
& nihil iam timere. Tum unus è bobus & æuo & con-  
silio grauis, Facile, inquit, erat hunc, qui talpa est, fallere,  
sed ut herum qui Argus est lateas, hoc opus, hic labor est.  
Mox deinde introgreditur herus. Qui ut serui negligen-  
tiam corrigat, cuncta lustrans oculis, & præsepe manu-  
tentans, cerui deprehendit sub fœno cornua. Inclamat fa-  
mulos, accurruunt, feram concludunt, capiunt.

## Morale.

In aduersis rebus & periculis, latebræ difficiles sunt  
inuentu, aut quia miseris, ut cœpit, fortuna exagitat: aut  
quia ipsi metu impediti, & inopes consilij semet impru-  
dentia produnt.

**L**eo ægrotabat, uisebant animalia, una officium diffe-  
rente uulpecula. Ad hanc legatum mittit leo cum  
epistola, que uenire admoneat: gratissimam rem ægroto  
fore, eius unius præsentiam. Nec quicquam periculi fore  
cur uulpecula metuit: leonem enim primum quidem am-  
cissimum esse uulpeculæ, ideoq; percupere eius colloquiū.  
Deinde ægrotum esse & decumbere, & etiā si, id quod  
non erat, uelit, nocere tamen non queat. Rescribit uulpe-  
cula, optare se ut leo conualescat, idq; oraturam superos.  
Ceterum minime uisuram, terreri enim se uestigij. Que  
quidem

quidem uestigia cum omnia sint antro leonis aduersa, &  
nulla auersa, eam rem indicium esse, multum quidem ani-  
malium introisse, sed exisse nullum.

Horatius in primo epistolarum,  
Olim quod uulpes ægroto cauta leoni  
Respondit, referam, quia me uestigia terrent,  
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

## Morale.

Cave si dem habeas uerbis:ni caueris, sæpe tibi dabun-  
tur uerba. Capienda est coniectura cum ex uerbis, tum ex  
factis, & ex his illa sunt iudicanda.

DE VVLPECVLA ET MVSTELA. 44

Vulpecula longa inedia tenuis, forte per angustio-  
rem rimam in cumeram frumenti rep̄fit. In qua cū  
probe pasta fuit, dein rursus tentantem egredi, distentus  
impedit uenter. Mustela luctantem procul contemplata,  
tandem monet si exire cupiat, ad cauum macra redeat,  
quo macra intrarat.

## Morale.

Videas complures in mediocritate lētos esse, atque ala-  
cres, uacuos curis, expertes animi molestijs. Sin hi diuites  
facti fuerint, uidebis eos mœstos incedere, nunquam fron-  
tem porrigere: plenos curis, animi molestijs obrutos.

Hanc fabellam sic Horatius canit lib. 1. epist.

Forte per angustum tenuis uulpecula rimam,  
Rep̄serat in cumeram frumenti, pastiq; rursus  
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.

Cui mustela procul, Si uis, ait, effugere istinc,  
Macra cauum repetas arctum, quem macra subisti.

## DE EQVO ET CERVO.

**E**quis gerebat bellum cum ceruo. Pulsus tandem ē pascuis implorabat opem humanam. Redit cum homine, descēdit in campum, uictus antea, iam fit uictor. Sed tamen hoste uicto, & sub iugum misso, ipse uictor necesse est seruiat homini. Equitem fert dorso, & frenum ore.

## Morale.

Dimicant multi contra paupertatem. Qua per fortunam & industriam uicta, saepe uictoris interit libertas. Domini quidem & uictores paupertatis, seruire incipiunt diuitijs, anguntur auaritiae flagris, parsimoniæ cohibentur frenis, nec querendi tenent modum, nec iusto quidem auaritiae supplicio, partis rebus audent uti. Horatius de hac fabella lib. 1. epist.

Ceruus equum pugna melior, communibus herbis  
Pellebat, donec minor in certamine longo  
Implorauit opes hominis, frenumq; recepit.  
Sed postquam uiolens uictor discessit ub hoste,  
Non equitem dorso, non frenum reppulit ore.  
Sic qui pauperiem ueritus, potiore metallis  
Libertate caret, dominum uehet improbus, atq;  
Seruiet æternum, qui paruo nesciat uti.

Aesopi

AESOPI FABV<sub>S</sub>

LAE TRIGINTA

Sex, Hadriano Barlando

interprete.

117

DE DVOBVS ADOLESCENTIBVS. 1



DOLESCENTES duo obsoniū apud cocum sese empturos simulant. Coco alias res agente, carnem alter è canistro surripit, dat socio ut sub ueste occulat. Cocus surreptam sibi carnis partē ut uidit, furti utrūq; cœpit insimulare. Qui abstulerat, per Iouē nihil habere: is uero qui habuit, nihil abstulisse identē deierat. Ad quos, Me quidem, inquit cocus, fur nunc latet, sed is inspexit, is scit quem iurastis.

Morale.

Si quid peccauimus, id non statim sciunt hoīes, at deus oīa uidet, qui sedet sup cœlos, et intuetur abyssos. Quod si cogitent homines, suppressius, prudentiusq; peccabitur.

DE CANE ET LANIO. 2

CAnis in macello cum lanio carnem abstulisset, in pedes sese continuo quantum potuit coniecit. Lanius iactura rei percussus, primum tacuit, deinde animum recipiens, sic procul acclamitauit: O' furacissime curre tutus, impune tibi licet, tutus enim es nunc ob celeritatem. Post hac autem cautius mihi obseruaberis. Morale.

Hæc fabula significat plerosque omnes tum demum fieri cautores, ubi damnum acceperint.

**C**anis ouem in ius uocat, panem ex mutuo debere clamatans: illa it inficias. Miluus, lupus, uultur accersuntur, rem affirmant, damnatur ouis, damnatam canis rapit, ac deglubit.

Morale.

Falsis testimonijis opprimi quam plurimos, cum nemo nescit, tum haec quam optime docet fabellula.

## DE AGNO ET LVPO.

**A**gno comitati caprum, lupus fit obuiam, rogitat curarelictam matre olidum potius sequatur hircum, suadetq; ut ad distenta lacte matris ubera redeat, sperans ita fore abductum ut laniet. Ille uero, Mater me, o lupe, inquit, huic commisit, huic summa cura seruandi data est, parenti potius quam tibi obsequendum, qui me seducere istis dictis postulas, seductum mox percerpere.

Morale.

Noli omnibus fidem habere, multi enim dum alijs uidentur uelle prodeesse, sibi interim consulunt.

## DE ADOLESCENTE ET CATO.

**V**m adolescens quidam, in delitijs amoribusq; usurpasset catum, Venerem precibus fatigauit, ut catum in foeminam transfiguraret. Commiserescit, et audit orantem Venus, fit metamorphosis, que adolescenti misere amanti perplacuit, nempe tota succi plenula, tota candida, tota elegatula. Itur deinde in cubiculum, ridetur, luditur. Nec uero ita multo post percipiens experiri dea, nunquid catus cum corpore mutasset et mores, per impluuium immittit musculum, ibi risu prorsus, atque ludores digna accidit. Conspectam illico bestiolam insequitur muli

**m**uliercula. Venus indignās, fœminæ uultus iterū in Catū,  
Cum pedibusq; manus, cum paruis brachia mutat  
Cruribus, et cauda est mutatis addita membris.

Morale.

Cœlum non animum mutant, qui trans mare curtunt,  
Nimisq; difficile est assueta relinquere. Naturā expellas  
furca licet, ipsa recurret, inquit Horatius.

DE AGRICOLA ET FILIIS. 6

**C**omplures habebat agricola filios adolescentulos,  
Cijq; inter se discordes fuere : quos pater elaborans  
trahere ad mutuum amorem, apposito fasciculo iubet sim= =  
gulos breui circundatum funiculo effringere : imbecilla  
nequicquam conatur etatula. Soluit parens, redditq; sin= =  
gulis urgulam, quam cum pro suis quisque uitriculis faci= =  
le frāgeret: O, inquit, filioli, sic cōcordes uos uincere po= =  
terit nemo: sed si mutuis uolueritis sanguire uulneribus, at= =  
que intestinum agitare bellū, eritis tandem præda hostibus.

Morale.

Docet hic apodus, concordia paruas res crescere, di= =  
scordia magnas dilabi.

DE ASINO ET EQVO. 7

**R**usticus equum uacuum, asinumq; sarcinulis egre= =  
gie onustum producit ad uiam: defessus asellus, equū  
sibi onera ut adiutet, orat, si saluum uelit. Negat factu= =  
rum equus. Asellus tandem sarcinæ pōdere grauatus pro= =  
cumbit, moritur. Herus omne onus, mortui quoque aselli  
corium, in equi dorsum reclinat, quibus cum ille deprime= =  
retur, Me miserum inquit, merito meo sic nūc exerceor,  
qui dudum laboranti asino opitulari nolui.

h 4      Morale.

## Morale.

**M**onemur hac fabula, ut oppressis subueniamus amicis, ortus nostri (inquit Plato) partem sibi patria uendicat, partem amici.

DE CARBONARIO ET FULLONE. 8

**F**ullonem inuitabat Carbonarius, ut secū in unis aedibus habitaret. Fullo, Non est, inquit, mihi homo istuc mihi uel cordi, uel utile, uereor enim magnopere, ne quæ ego eluam, tu reddas tam atra quam carbo est.

## Morale.

**M**onemur hoc apologeticum inculpatis ambulare, monemur sceleratorum hominum consortia ueluti pestem quandam deuitare. Trahunt, inquit Campanus, hominem sodalitia, commercia etiam in mores penetrant, & perinde quisque euadit, ut quibus cum uersatur.

DE AVCP. 9

**I**tu natum auceps, uidet nidulantem procul in altissima arbore palumbum, adpropiat, denique insidias molitur, premit forte calcibus anguem. Hic mordere, ille improuiso exanimatus malo, Me miserum, inquit, dum alteri insidior, ipse dispereo. Morale.

Significat hæc fabula nonnūquam eos suis artibus circumueniri, qui res nouas moliuntur.

DE BVCCINATORE, SEV TVCICINE. 10

**B**uccinator quidam ab hostibus capit, abducitur, trepidare ille, supplicare, ut parcāt innoxio, se quando nihil unquam armorum præter unam buccinam gestauerit, hominem ne potuisse quidem occidere, nedum uoluisse. Illi contrà murmure tum saeuo tum uerberibus intonant,

nant, Nihil agis scelus, maxime noces, atque nunc hic trucidabere, quod cum ipse ut fateris, sis rei militaris imperitus, cornu istoc tuo, aliorum excitas, euibrasq; animos.

## Morale.

Grauiissime peccant nonnulli, qui ad mala alioqui saetis pronis principibus, ut inique agant, consulunt, atque huiusmodi quædam ad illorum aures occinunt, Quid etiam dubitas? an te principem esse oblitus es? an non tibi quod lubeat licet? tu legibus maior, in te legirupæ non men cadere haud potest, qui ipsis etiam dominaris legibus, tui nihil possident quod tuum non sit, tu potes seruare, et perdere: tibi fas est opibus dignitateq; augere quem uisum sit, fas est ubi libuerit adimere. Alios alia uel damnant, uel commendant, tibi nihil non honestissimum futurum.

## D E L V P O E T C A N E.

II

**L**upus cani ante lucem in sylua forte fortuna fit obliuian, salutat, aduentū gratulatur, deniq; rogat quo pacto tam fit nitidus. Cui ille, Herilis cura hoc efficit, herus me blandientem sibi demulcet, de mensa pascor herili nitidißima, nunquam sub dio dormito, tum uniuersæ familiæ nō dici potest quam sim gratus. Næ tu (inquit lupus) multo es felicissimus ô canis, cui tam benignus et comis contigit herus, quo cum ô utinam commorari et mihi licet, nullum me animantium esset uspiam fortunatius. Canis noui status cupidissimum uidens lupum, effecturum se pollicetur, ut hæreat in parte aliqua apud herum, modo de pristina ferocia aliquid remittere, et seruitutem servire uelit. Stat sententia: lupo libitum est deambulare ad

villam. Sermones edunt in itinere prorsus iucundissimos. Postea uero quam illuxit, contritum canis collum uidens lupus, Quid sibi uult, inquit, ô canis tua isthac prorsus depilata ceruix? Solebam, inquit ille, feroculus notis pariter & ignotis allatrare, obmordercq; nonnunquam: id ægre ferēs herus, crebris me tundebat uerberibus, prohibens etiam, ne quem præter furem lupumq; adorirer: ego sic uapulando uictus sum, & mitior factus hocq; genialis saevitiae seruauit signū. Lupus hoc audito, Ego, inquit, heri tui amicitiam tanti nō emo. Vale igitur ô canis, cum tua isthac seruitute: mihi mea potior est libertas.

## Morale.

*Optabilius est in humili casa dominum esse, & panem atrum uorare, quam in amplissima regia opiparis mensis frui, & obnoxium trepidumq; agere. Nam libertas sublimi exulat aula, ubi accipienda uenit, & missa iniuria est.*

## DE AGRICOLA ET CANIBVS. 12

**A**gricola quum ruri plusculos hyemasset dies, cœpit tandem necessariarum rerū penuria laborare: interficit oues, mox & capellas, postremo boues quoque macet, ut habeat quo inedia penè exhaustum corpusculum sustentet. Id uidentes canes, salutem fuga querere consti- tuunt: se se enim non uicturos diutius, quando ne bobus quidem, quorum in opere rustico faciendo utebatur opera, pepercerit herus.

## Morale.

In quam domum mercedis gratia te tradas, uide. Nonnulli humanissimi sunt heri. Multi etenim hodie eodem dementiae prolabuntur, ut uel seruos infortunio malo & damno

damno libenter mactent.

## DE VVLPE ET LEONE.

13

**V**ulpecula, quæ leonis immanitatem insuetam habebat, semel atq; iterum id forte animalis cōtemplata, trepidare & fugitare. Quū iam tertio obtulisset sese obuiam leo, tantum absuit ut metueret quicquam uulpes, ut confidenter illum adierit salutaueritq;. Morale.

Omnis nos consuetudo audaciores facit, uel apud eos quos antea aspicere uix ausi fuimus.

## DE VVLPE ET AQVILA.

14

**V**ulpecula proles fores excurrerat, ab aquila cōprehensa, matris fidem implorat, accurrit illa, ut captiuam prolem dimittat, aquilam rogat: aquila nacta prædā ad pullos subuolat: uulpes correpta face, quasi illius munitiones incendio absumptura esset, insequitur. Quum iam arborem concendiisset, & ipsa, Nunc te, inquit, tuosq; si potes tuere. Trepidans aquila, incendium dum metuit, Parce, inquit, mihi paruisq; liberis, tuum quicquid habeo reddidero.

Morale.

Per aquilam potentis atque audacis animi homines intellige: per uulpem pauperculos, quos calumnijs premer, contumelijsq; afficere, diuitibus æque studium est. Verum, quando est sua & formicis ira, impotentes ij acceptam interdum probe ulciscuntur iniuriam.

## DE AGRICOLA ET CICONIA.

15

**G**ruibus anseribusq; sata depascentibus laqueum prætendit rusticus: capiūtur grues, capiuntur anseres, capitur & ciconia. Supplicat illa, innocētem sese clamitans, & nec gruem nec anserem esse, sed auium omnium optimam,

optimam, quippe quæ parēti sedulo semper inferuire, eum  
demq; senio confectū alere consueuerit. Agricola, Horū,  
inquit, nihil me fugit: uerum cum nocentibus postquā te  
cepimus, cum his quoq; morieris.

## Morale.

**Q**ui flagitium committit, et is qui impuris se adiun-  
git socium, pari poena plectuntur.

## DE GALLO ET CATO.

16

**V**enit ad gallum comedendum catus, non satis autē  
habens ad nocendum causæ, gallum criminari occi-  
pit, obstreperam esse auem dictitans, utpote quæ uoce tam  
acuta noctu dormienteis homines expergeficiat. Ille se  
innocētem ait, quum sic excitet in opera mortales. Catus  
contra intonat: Nihil agis scelestē: cum matre rem habes,  
nec sorore abstines. Id gallus quoque expurgare quum  
niteretur, Nec hoc, inquit perseverantius sœuiens catus,  
quicquam facis, tu mihi hodie discerperis.

## Morale.

**V**etus dictum esse ait Guilelmus Goudanus, ut canem  
cædas, facile inueniri baculum. Malus, si libitum fuerit,  
quo iure, quaq; iniuria te præcipitem dabit.

## DE OPILIONE ET AGRICOLIS.

17

**P**er æditiore pratulo oves pascebatur, atq; per iocum  
terq; quaterq; lupum adesse clamitans, agricultoras un-  
dique exciebat: illi sèpius elusi, serio auxilium imploranti,  
dum non subueniunt, fiunt oves præda lupo.

## Morale.

**S**i mentiri insueuerit quispiam, huic si quando uerum  
narrare occiperit, haud facile habebitur fides. Superiori  
apologo

**apologo finitimus est ille apud Horatium de Plano scurra iocus,**

Nec semel irrisus triuijs atollere curat  
 Fracto crure Planum, licet illi plurima manet  
 Lachryma, per sanctum iuratus dicat Osirim,  
 Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.  
**Quare peregrinum, uicinia rauca reclamat.**

## DE AQUILA ET CORVO. 18

**R**upe æditissima in agni tergum deuolat aquila. Videlis id coruus, imitari, uelut simius, gestit aquilam, in arietis uellus se demittit, demissus impeditur, impeditus comprehenditur, comprehensus proijcitur pueris.

## Morale.

Non aliorum, sed sua se quisq; uirtute æstimet. Tuo te pede metire, iquit Horatius. Id uelis, id tētes, quod possis.

## DE CANE INVIDO ET BOVE. 19

**P**ræsepio fœni pleno decumbebat canis. Venit bos ut comedat. Ille sese surrigens prohibere. Bos, dīcū te cum tua istac inuidentia perdant, inquit, qui nec fœno uesceris, nec eo me uesci finis.

## Morale.

Eo sunt ingenio plerique, ut alijs inuideant, quod ipsi mentis inopia assequi nequeunt.

## DE CORNICE ET OVE. 20

**S**trepitat in ouiculæ dorso cornicula. Ovis, Cani, inquit, si sic obstreperes, ferres infortuniū. At cornix: Scio, inquit, quibus insulte, placidis molesta, saeuis amica.

## Morale.

Impotenti & syncero perpetua est cum malis parata certatio.

*certatio. Illiditur solo innocentissimus quisque : nocentis  
vero præferocis hominis aures ad strepit nemo.*

**D E PAVONE ET LVSCINIA.**

21

**P**AUO apud summi Iouis sororem & coniugem Iuno  
nem, queritur luscinia suaue cantillare, se ob rauca  
rauim ab omnibus irrideri. Cui Iuno: Dos sua à dijs cuiq;  
Luscinia cantu, tu plumis longe superas, unūquenque sua  
forte decet esse contentum. **Morale.**

*Quæ diui largiuntur, grato sumamus animo, neq; ma-  
iora quæsierimus. Superi temere agunt nihil.*

**DE MVSTELA ET MVRIBVS.**

22

**M**Ustela præ senio uiribus carens, mures iam ita ut  
solet, insequi non ualebat, meditari cœpit dolū, in  
farinulae se colliculā illatebrat, sic spherās fore, ut citra la-  
borem uenetur. Accurrūt mures, & farinam esitare dum  
cupiunt, ad unum omnes à mustela uorantur. **Morale.**

*Vbi uiribus quispiam destitutus fuerit, ingenio opus  
est. Lysander Lacedæmonius subinde dicere solebat, quò  
non perueniret leonina pellis, uulpinam assuendam esse:  
quod sic lucidius dixeris, Vbi uirtus non satis potest, adhi-  
benda est astutia.*

**APOLOGVS EX MANTVA=**

*no traductus.*

23

**R**Usticus quidam ex malo, quam in proximo habebat  
agello, sapidissima quotannis legebat poma, hero le-  
cta donabat urbano, qui illectus incredibili pomoru dul-  
cedine, malum tandem ad se transtulit: ea ueterrima re-  
pente exaruit, atque ibi poma pariter, & malus perierte.  
*Quod quum patrifamiliás nunciaretur, Heu difficile est,*  
*inquit,*

*inquit, annosam transplantare arborem. Satis superq; fue  
rat, si frenos meæ nouissem imponere cupiditati, fructus  
ramo decerpere. Hanc fabulam sic Mantuanus:*

**R**usticus ex malo dulcissima poma legebat,

Vnde dare urbano dona solebat hero.

**A**st herus illectus frugum dulcedine, malum

Transtulit in laribus proxima rura suis.

**A**t quia malus erat senior, translata repente

Aruit, & proles cum genitrice obiit.

**H**eu male transfertur senio quum induruit arbor

Inquit herus, fuerat carpere poma satis.

Morale eiusdem.

**Q**ui nimium sapiunt, atque inconcessa sequuntur,

Desipiunt, cohibet qui sua uota, sapit.

### F A B V L A E M. P E T R O

Scoto uiro ornatissimo eidemq; huma-  
nißimo, scriptæ à Barlando.

### D E L E O N E E T R A N A.

24

**A**udire uocem risus leo, profiliit: subsistit nō sine tre-  
pidatione, magni quippiam expectans: egreditur tan-  
dem aquis ranula. Leo deposito metu appropians, bestio-  
lam proculcat pedibus. Morale.

Vetat hic apologus inanes timores, ut illa à Guilhelmo  
Goudano uersa fabula de partu montium.

### D E F O R M I C A.

25

**S**itiens uenit ad fontem ut biberet formica, incidit for-  
te in puteum: opitulatur eminus, ex arbore deiecto  
ramo, columba. Ramum conscendens formica seruatur:

Adest,

*Adest columbam ut capiat, auceps: non sinit formica, alicupis pedem arripit mordicus, auolat columba.*

Morale.

*Docet fabula, præclare meritis referendā esse gratiā.*

DE PAVONE ET PICA.

26

**G**ENS AVIUM QUŪ LIBERE UAGARETUR, OPTABAT SIBI DARI REGEM. PAUO SE IN PRIMIS DIGNUM QUI ELIGERETUR PUSTABAT, QUIA ESSET FORMOSISSIMUS. HOC IN REGEM ACCEPTO, PICA, O' REX, INQUIT, SI TE TEMPERANTE AQUILA NOS PRÆSTRENUÉ, UT SOLET, INSEQUI CŒPERIT, QUO ILLAM MODO ABIGES? QUO NOS PACTO SERUABIS?

Morale.

*In principe non tam forma, quam corporis fortitudo spectanda est, & prudentia.*

DE AEGROTO ET MEDICO.

27

**M**EDICUS CURABAT ÆGROTUM,ILLE TANDEM MORITUR.  
TUM AD COGNATOS MEDICUS:HIC, INQUIT, INTEMPE= RANTIA PERIIT.

Morale.

*BIBACITATEM & LIBIDINEM NISI QUIS MATURE RELIQUERIT, AUT NUNQUAM PERUENIET AD SENECTUTEM, AUT PERBREUEM EST HABITURUS SENECTUTEM.*

DE LEONE ET ALIIS.

28

**L**EO, ASINUS, UULPES EUNT UENATŪ: CAPITUR AMPLA UENA= LIO: CAPTA PARTIRI IUSSA. ASINO SINGULAS SINGULIS PAR= TEIS PONENTE, IRRUGIIT LEO, ASINUM RAPIT, AC LANIAT. POSTEA UULPCCULÆ ID DAT NEGOCIJ: QUÆ ASTUTIOR, QUM LEONI LONGE OPTIMA POSITA PARTE, SIBI UIX MINIMAM PARTICULARAM RESER= UASSET, ROGAT LEO È QUO SIC DOcta SIT: CUIILLA, HUIUS ME, IN= QUIT, CALAMITAS DOCUIT, MORTUUM ASINUM OSTENDENS.

Morale.

## Morale.

*Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

DE HOEDO ET LVPO.

29

**F**enestra prospectans hœdus, prætereuntē lupum cō=  
ficijs incessere audebat, cui lupus, *Non tu, ait, scele-*  
*ste mihi conuiciaris, sed locus.* Morale.

*Et tempus, et locus saepe audaciam addunt homini.*

DE ASINO.

30

**A** sinus de hortulani sœvitia querens, Ioui supplicat  
alium dari herum. Exaudire Iupiter uota asini, dat  
tegularium. Apud quem cum tegulas, grauioraq; tergo  
uectaret onera, accessit rursus Iouē, orat dari, qui mitior  
fit. Ridere Iupiter, ille tamē nō destitit instare, orare usq;  
adeò, donec perpelleret. Dat ille coriarium, quē ubi per-  
nouit asellus, *Me miserum, inquit, qui dum nullo sum con-*  
*tetus domino, in eum inciderim, qui nec corio quidē meo,*  
*quantum auguror, parcer.* Morale.

*Semper damnamus quæ præsentia sunt, et noua appe-  
timus, quæ (ut dici solet) ueteribus non sunt potiora.*

DE ANV ET ANCILLIS.

31

**A**nus quædam domi habebat ancillas cōplureis quas  
quotidie ante quām lucesceret, ad galli gallinacei,  
quem domi alebat, cantum excitabat ad opus. Ancillæ quo-  
tidiani tandem negotij commotæ tædio, gallum obtrun-  
cant, sperantes iam necato illo in medios se se dies dormi-  
turas: sed hæc spes miseris frustrata est: hera enim ut in-  
teremptum gallū rescivit, *intempesta deinceps nocte sur-*  
*gere iubet.* Morale.

*Non pauci grauius malum dum student euitare, in al-*  
i *terum*

*terum diuersum incident. Per uulgatum est, Incidit in Scyllam, qui uult uitare Charybdim.*

## DE ASINO ET EQVO.

32

**A** Sinus beatum putabat equum, quod pinguis esset, et in ocio degeret, se uero infelice dicebat, quod macilens esset, ac strigosus, quotidie frēdis oneribus ab immiti hero exerceceretur. Haud multo post ad arma conclusum est. Tum equus non equitem dorso, non frenū repulit ore, nec telum corpore: hoc uiso, asinus magnas dijs gratias agebat, quod non equum se, sed asinum fecissent.

## Morale.

Miseri sunt, quos uulgas beatos iudicat, & nō pauci beati, qui se miserrimos putant. *Sutor crepidarius regem dicit felicem, quem omnium rerum compotem uidet, non consideras in quantas rex solicitudines distrahabatur, dum interim ipse optima cum paupertate cantillet.*

## DE LEONE ET CAPRA.

33

**E**dita rupe ambularem caprā forte conspicatus leo, emonet ut potius in uiride pratum descendat. Capra, Facerem fortassis, inquit, si tu abesses, qui mihi non istud suades, ut ego inde ullam capiam uoluptatem, sed ut tu habeas quod uores famelicus. Morale.

Omnibus ne habeas fidem, quidam enim non tibi, sed sibi consulunt.

## DE VVLTVRE ALIISQUE AVIBVS.

34

**A**nnum se natalem celebrare ad simulat uultur, aunculas ad coenam inuitat, uenient plerāq; omnes, ueniētes magno plausu, fauoribusq; accipit, acceptas laniat uultur.

## Morale.

Non

*Non sunt amici omnes, qui blande dicunt, aut benigne  
se facere uelle simulant, latent sub hoc melle uenena.*

## DE ANSERIBVS.

35

**A**Nseres unà cum gruibus agrum uastabant, quibus auditis, rustici protinus in illos feruntur. Rusticos conspicatæ auolant grues, capiuntur anseres, qui impediti corporis onere, subuolare non poterant. Morale.

*Expugnata ab hostibus urbe, facile se subducit inops,  
at diues seruit captus. In bello diuitiæ magis oneri sunt  
quàm usui.*

## DE IOVE ET SIMIA.

36

**I**Upiter scire percipiens, quis nam mortalium scitissimos æderet liberos, conuocari iubet quicquid uspiam est animantium. Concurritur ad Iouem undiq;: aderat iam alituum, pecudumq; genus: inter quos et simia, deformes catulos brachio gestans, cum aduenisset, à risu nemo temperare potuit, qui enetiam Iupiter ipse profuse admodum risit. Ibi continuo simia ipsa, Imò, inquit, ncuit et Iupiter iudex noster, catulos meos magnopere omnes quot=quot adsunt præcellere. Morale.

*Suum cuique pulchrum, ut est adagium. Et alibi apud Theocritum in Edyl. Quæ munime sunt pulchra, ea pulchra uidentur amanti.*

ANIANI FABVLAE QV A=  
tuor Hadriano Barlando interprete.

## DE QVERCV ET ARVNDINE. 1

**F**astus olim atque adeò insolentiae plena quercus, Farundinem aggressa est. Si nunc inquiens pectus animosum tibi, procede agedum ad pugnam, ut noster duarū

euentus ostendat , utra uiribus præstet: arundo, quercus  
cantum exultationem , fortitudinisq; iactationem uanam  
nihil mirata , sic respondit: certamen nunc abnuo, nec meæ  
sortis me piget: Nam et si in omnem partem mobilis, tem=   
pestates tamē peruinco sonoras: tu, si semel uasto rex Ae=   
olus antro , luctantes emiserit uentos, concides, & mibi  
tum rideberis.

Morale.

Declarat hæc fabella , non eos semper fortissimos esse,  
qui nulla etiam laceſſiti iniuria, alijs insultant.

## DE PISCATORE ET PISCICVLO. 2

**P**iscator iacto in aquam hamo , cibis illito, p̄isciculum  
eduxit , orat obsecratq; captiuus , se minutulum uti  
abire finat, & adoleſcere, ut poſtea maiore potiatur . Pi=   
scator, Ego, inquit, ſpem pretio non emo, quippe qui eo  
fuerim ingenio ſemper, ut quicquid poſſem, mallem aufer  
re potius in præſentia.

Morale.

Hæc nos monet fabella , ne certa unquam incertorum  
ſpe unguibus amittamus . Quid enim ſtultius (ut eſt apud  
Ciceronem) quam incerta pro certis habere?

## DE FORMICA ET CICADA. 3

**A**ppetente hyeme frumentum in areolam ad Solem  
atrahebat formica : uidet id cicada, accurrit, rogitat  
granū: formica, Cur, non, inquit, & tu meo exemplo æſta  
te trahis quodcumque potes, atque addis aceruo? Respon=   
det illa, ſibi id temporis cantando transfigi. Ridens formi=   
ca, Si, ait, & ſtate cantitare ſoles, merito nunc eſuris.

Morale.

Monemur hac fabula , dum adhuc robur corporis a=   
dest querere ea, quibus imbecilla ſuſtentetur ſenectus . Per  
hyemem

hyemem senectutem intellige. Per æstaten adolescentiam,  
et florem illum ætatis.

## DE LEONE ET TAVRO.

**L**eonem fugitbat Taurus, in hircum incidit: *is cor=*  
*nu et caperata minatabatur fronte: ad quem plenus*  
*iræ taurus, Non tua, inquit, in rugas contracta frons me*  
*territat, sed immanem metuo leonem, qui nisi tergo here=*  
*ret meo, iam scires non ita paruam rem esse pugnare cum*  
*Tauro, et nostro sequi de uulnere sanguinem.* Morale.


Calamitosis non est addenda calamitas. Sat miser est,  
qui semel est miser.

## ANIANI FABVLAE

TRIGINTA OCTO GVI

*lelmo Hermanno diui Augustini ordi=*  
*nis canonico interprete.*

## DE NVTRICE ET LVPO.



Vtrix minatur puerum plorantem, nisi  
ceat, dari lupo. Lupus id forte audit, spe  
cibi manet ad fores. Puer tandem filescit,  
obrepente somno. Regreditur lupus in  
syluam iejunus et inanis, lupa ubi sit  
præda sciscitur. Gemebundus ille, Verba, inquit, mibi da  
ta sunt, puerum plorantem se abijcere munabatur nutrix,  
at fefellit. Morale.

Fœminæ non est habenda fides.

## DE TESTVDINE ET AQVILA.

Cœperat testudinem tedium reptandi. Si quis eam in  
i 3 cœlum

*cœlum tolleret, pollicetur baccas maris rubri. Sustollit eam aquila, poscit præmium. Non habentem, fodit unguibus. Ita testudo, quæ concupiit uidere astra, in astris uitam reliquit.*

Morale.

*Tua sorte sis contentus. Fuere nonnulli qui si manfissent humiles, poterant esse tuti: facti sublimes, inciderunt pericula.*

DE CANCRIS MATRE ET FILIO. 3

*Cancrum retrogradum monet mater antrorum ut  
Ceat: filius respondet, Mater, inquit, I præ, sequar.*

Morale.

*Nullum reprehenderis uitij, cuius ipse queas reprehendi.*

DE SOLE ET AQUILONE. 4

*Sol & uentus Aquilo certant, uter sit fortior. Conuenit  
stum est experiri uires in uiatorē, ut palmam ferat, qui  
excusserit manticam. Boreas horrisono nimbo uiatorem  
aggreditur, ac ille non desistit amictum gradiendo dupli-  
cans. Assunt uices Solis. Qui nimbo paulatim euicto, emo-  
litur radios. Incipit uiator æstuare, sudare, anhelare. Tan-  
dem progredi nequiens captat frigus opacum, atque sub  
frondoso nemore abiecta mantica, resedit, ita Soli contigit  
victoria.*

Morale.

*Qui cum certes etiam atque etiam uide. Nam & si tu  
fortis es, est forsitan aliis te fortior. Aut si non fortior, cer-  
te callidior, ut consilio suo tuum uincat robur.*

DE ASINO. 5

*A Sinus uenit in syluam, offendit exuuias leonis: qui-  
bus indutus redit in pascua, greges armentaq; terri-  
tat, & fugat. Venit qui perdiderat, queritat suum asinum.  
Asinus*

**A**simus uiso hero occurrit, imò cum rugitu suo incurrit.  
At herus prehensis quæ extabant auriculis, Alios licet, in  
quit, fallas, ego te a selle mi probe noui.

Morale.

**Q**uod non es, nec te esse similes. Non doctum cum  
sis indoctus, non diuitem, nō nobilem, cum sis pauper et  
ignobilis, te iactes. Vero enim comperto rideberis.

DE RANA ET VVLPE.

6

**R**ana egressa paludem, in sylvis apud feras medicinā  
profitetur. Ait se nec Hippocrati, nec Galeno cede=   
re. Cæteris habētibus fidem illusit uulpes. An hæc, inquit,  
medicinæ habebitur perita, cui sic pallet os? Quin curet  
seipsum? Sic illusit uulpes. Est enim ranæ os cœruleo co=   
lore.

Morale.

Stultitiæ est, profiteri quod nescias, et ridiculum.

DE CANE MORDACI.

7

**C**Ani subinde homines mordenti, ut sibi quisq; caue=   
ret, alligauit dominus nolam. Canis ratus uirtuti suæ  
tributum decus, suos populares despicit. Accedit ad hunc  
canum aliquis iam ætate, atq; autoritate grauis, monens  
eum ne erret: Nam ista, inquit, nola data est tibi in dede=   
cus, non in decus.

Morale.

Gloriosus interdum sibi ducit laudi, quod ipsi est uitu  
perio.

DE CAMELO.

8

**C**amelus sui pœnitens, querebatur tauros insignes  
cire geminis cornibus, se inermem obiectum cæteris  
animalibus. Orat Iouem donari sibi cornua. Ridet Iu=   
piter stultitiam camelii, nec modo uotum negat, uerum et

i 4 auri

*auriculas bestiæ decurtat.* Morale.

*Sit quisq; fortuna cōtentus sua. Etenim multi fortunā sequuti meliorcm, incurrēre peiorem.*

DE DVOBVS AMICIS ET VRSO. 9

**D**uo amici faciūt iter. Occurrit in itinere ursus. Unus arbore consensa, pericula euitat: alter quū spes fuge non esset, collidit se humi. Accedit belua, contrectat iacentem, os explorat & aures. Homine spiritum continēte ac motum, ursus qui mortuis parcit, ratus cadauer esse, in nocuus discedit. Percunctanti postea socio, quid nam bestia dixisset iacenti in aurem, hoc monuisse ait, ne unquam cum illiusmodi amicis iter faceret.

Morale.

*Rara uis in terris, nigroq; simillima cygno, fides est. Verum amicum res aduersæ & pericula monstrant.*

DE EQVITE CALVO. 10

**E**ques caluus illigarat pileo ~~comam~~ ~~fictitiam~~. Venit in campum, acri spirante borea: ac dum male obseruat capillum galorum, subito apparet caluicies. Tollit cachinnum corona, necnon & ipse ridet, Quid noui est, inquit, auolare capillos alienos, quū olim defluxerint qui fuerant mei?

Morale.

Belle fecit eques qui non est indignatus, sed cum rideatis risit. Socrates uero cum accepisset in foro alapam, hoc modo respondit, Molestū esse nescire homines, quando debeant prodire cum galea.

DE DVABVS OLLIS. 11

**D**væ ollæ stetere in ripa: altera erat lutea, altera ærea: utrancq; tulit uis fluuij. Luteæ collisionem metuenti

tuenti, respondet ærea, nequid timeat, sese enim ne collidantur satis curaturam. Tum altera: Seu me, inquit, tecū, seu te mecum flumen colliserit, cum meo utrung; fiet periculo. Quare certum est à te separari.

## Morale.

Satius est uiuere cum socio pari, quam cū potentiori. A` potentiori enim potest esse periculum tibi, nō illi à te.

## DE RVSTICO ET FORTVNA. 12

**R**Vsticus quum araret, offendebat in sulcis thesau=rum. Gratias agit Telluri, quæ hunc dedisset. For=tuna uidens nihil honoris haberis sibi, ita est secum loqua=ta, Thesauro reperto stolidus mihi non est gratus: at eo ipso thesauro postea amusso, me primā omnium uotis ex=clamore solicitabit.

## Morale.

Beneficio accepto, grati simus bene de nobis merenti. Ingratitudo enim digna est, etiam beneficio quod iam acceperit, priuari.

## DE TAVRO ET CAPRO. 13

**F**Vgit leonem taurus: uenit ad spelūcam, quærens lati=bulum, intranti occursat cornibus, qui intus erat ca=per. Tum his uerbis bos emugit: Tu quidē cornibus tuis meam excipis fugam. Verum si abierit quem fugio, quan=tum à uiribus tauri distet caper, tum senties.

## Morale.

Qui nescit miseris esse succurrendum, aut certe nō no=cendum, caper est. Quisquis enim à miserorum iniuria non temperauerit, si (ut est fortuna mutabilis) miseris re=dierit felicitas, nimurum nocuisse miseris eum pœnitebit.

DE SIMIA ET EIVS PROLE. 14

**O**Mneis animantes suo conspectui Iupiter adesse iusserat, cuius nam soboles esset pulcherrima iudicatrix. Properant feræ, aduolant aues, necnon ad id certamē adnatant pisces. Omnium postrema festinat simia, trahēs secum suam prolem. Cuius quidem prolis fœdas nates cūtis ridentibus, sic infit: Maneat cui fauerit Iupiter, uictoria. Meo tamē iudicio, hic meus natus est bellus, & omniū natis iure præferendus. Hoc dicto subrisit & Iupiter.

Morale.

Et nos & nostra nobis placet. Sed de nobis & de nostris factis, aliorum sit iudicium: ne si ipsi iudicemus, cum simia rideamur.

DE PAVONE ET GRVE. 15

**P**AUO & grus unà coenant. Pauo se iactat, caudam ostentat, gruem contemnit. Grus fatetur pauonē formosis esse pennis: se tamen dum uix tectis superuolat pauo, animoso uolatu penetrare nubes.

Morale.

Nemo alterū cōtempserit. Sua cuiq; dos, sua cuiq; est uirtus. Qui tua uirtute caret, forsan habet qua careas tu.

DE QVERCV ET ARVNDINE. 16

**V**Alidiore noto effracta quercus, in flumen præcipitat. Dumq; fluitat, hæret forte ramis suis in arundine: miratur arundinem in tanto turbine stare incolumem. Hæc respondet, cedendo & declinando se esse tutam, inclinare ad Notum, ad Boream, ad omnem flatū. Nec murum esse quod quercus exciderit, quæ non cedere, sed resistere concipiuit.

Morale.

Potens

Potentiori ne resistas, sed hunc cedendo & ferendo  
vincas. Quod pulchre docet facundissimus poëtarum  
Vergilius,

Nate dea quò fati trahunt retrahuntq; sequamur.

Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

## DE TIGRIDE ET VVLPE. 17

**V**Enator iaculis agitabat feras. Tigris iubet omnes fe-  
ras absistere, sese unam ait bellum conjecturam. Per-  
git uenator iaculari. Tigris oppido sauciatur. Fugientem  
è prælio, telumq; extrahentem, percunctatur uulpes, qui si-  
nam ualentem beluam tam ualde uulnerasset. Respondit,  
se autorem uulneris haud nosse: uerum ex uulneris magni-  
tudine capere se coniecturam, aliquem fuisse uirum.

## Morale.

Fortes plerunque sunt temerarij, & ars uim, ingenium  
fortitudinem superat.

## DE TAURIS ET LEONE. 18

**Q**uatuor fuere tauri, quibus placuit cōmunem ipso-  
rum esse salutem, & commune periculum. Videt  
leo simul pascentes, et si esurit, tamen coniuctos aggredi  
metuit. Primum dat operam uerbis fallacibus segregare,  
tum segregatos laniat. Morale.

Concordia nihil est firmius, discordia etiam fortis red-  
dit imbecilles.

## DE ABIETE ET DVMO. 19

**F**ertur olim abies despicere dumos, iactitat se proce-  
rem esse, locari in ædibus, cum uelo stare in nauibus,  
dumos autem humiles, uiles, nulli usui idoneos. Quorum  
quidem tale fuit responsum, Tu sanè abies tuis gloriare  
bonis,

*bonis, ut nostris insultes malis. Verum nec tua refers mala, & nostra preteris bona. Cum tu sonanti detruncare securi, quam uelles tum nobis, qui securi sumus esse te similem?*

Morale.

*Et summæ fortunæ sua insunt mala, & humili fortunæ sua bona. Ut nil aliud nunc dicam, hæc secura est, ac tuta: illa nec extra metum est, nec caret periculo. Horatius canit in lyricis, Celsæ grauiore casu decidunt turres, feriūtque summos fulgura montes.*

DE PISCATORE ET PISCICVLO. 20

*S*vbductus hamo pesciculus, orat pescatore se dimitti. *S*ait modo se à matre fusum, atque mensam, cum adhuc minutus sit, non multum iuuare. Si dimittat, postea grandem ultro ad hamum eius redditurum. Pescator negat se dimittere prædam certam, licet exiguum. *Quid habeam,* inquit, scio: *quid sim habiturus, nescio: Ego spem pretio non emo.*

Morale.

*Certum præstat incerto, præsens futuro, & si nonnunquam exile commodum omissum attulit magnum.*

DE ALITE ET PVLLIS EIVS. 21

*A*les positos in segete pullos monet, ut, dum ipsa absent, diligenter attendant, si fiat sermo de occatione. Redeunti è pastu matri pulli anxij, narrant dominum agri operam illam mandasse uicinis. Respondet nihil esse periculi. Item alio die trepidi, aiunt rogatos ad metendū esse amicos: iterum iubet illa ut sint securi. Tertio ut audiuit ipsum dominum cum filio statuisse postero mane cum falce messem intrare, iam, inquit, tempus est ut fugiamus. Vicinos & amicos non timui, quia non uenturos sciui.

**S**civi. Timeo dominum, illi enim res est cordi.

Morale.

Secordes alienis in rebus plerique sumus: **Quod si** quid recte curatum uelis, alteri ne mandes, sed cures ipse.

DE AVARO ET INVIDO. 22

**D**uo homines orabant Iouem, cupidus & inuidus. Mittitur à Ioue Apollo, per hunc ut eorum uotis satisfiat. Dat hic utrique optandi liberam facultatem ac conditionem: ut quocunque petisset alter, id ipsum alter acciperet duplicatum. Hæret diu cupidus, cum nihil putat fore satis. Petit tandem non pauca. Et duplum accipit socius. Porro inuidus hoc petit, ut ipse uno priuetur oculorum, latus socium multandum esse utroque.

Morale.

Avaritiam quid possit satiare? Inuidia uero dementius est nihil. Quæ dummodo noceat alteri, sibi met imprecatur malum.

DE LEONE ET CAPELLA. 23

**V**idit leo pendere dumosa de rupe capellam. Suadet descendere ut in campo thymum, salicesq; carpat. Recusat capella descendere, uerba quidem eius haud sanè mala, sed mentem esse plenam dolii reclamans.

Morale.

Cogita quis quid suadeat. Multi suadent utilia, non tibi, sed sibi.

DE CORNICE ET VRNA. 24

**S**itibunda cornix reperit urnam aquæ. Sed erat urna profundior, quam ut posset à cornice aqua contingi. Conatur effundere urnam, nec ualeat. Tum lectos ex ha-  
rena

manducabat. Cum multa animalia iam occidisset, uulpes leonis cognita arte, aditum speluncæ accedēs, leonē quo ualeat pacto, exterius stans rogat, ei leo blande respondens ait: Vulpes filia, quur non introgredēris ad me? Et uulpes non illepide ait, Quoniam here mi animalium ingredientium perplura equidem uestigia cerno, sed egradientium uestigia nulla.

Fabula significat, quòd homo prudens, quia pericula imminentia prouidet, illa facile deuitat.

## DE LEONE ET TAVRO.

60

**L**eo ingentem taurum per insidias sequens, cū prope accessit, eum uocauit ad coenam, inquiens, Amice ouem occidi: hodie tecum, si placet, coenabis. Taurus leo ni morem gerens, ut discubuerunt, quum multis lebetes, nec non magnos et plureis obeliscos paratos conficeret, et ouem ibi nullam adesse, è uestigio abiit. Quem leo abeuntem perspiciens, quur abiret rogauit: Ei taurus haud inurbane respondit, Non de nihilo equidem abeo, quum instrumenta non ad ouem, sed ad taurum coquendum uideam esse parata.

Fabula significat, quòd homines prudenteis minime latent improborum artes.

## DE LEONE, ASINO, ET UULPE.

61

**L**eo, asinus, et uulpes conflita inter se societate uena tum exeunt. Quumq; multam prædam cepissent, leo asino mandat ut prædam diuidat. Asinus quum eam in treis parteis æquales esset partitus, optionem capiendi socijs dedit. Quam partitionem leo indigne ferens, ac dentibus frendens, à diuisione depositum eum, mādauitq; uulpi, ut præ

ut prædam ipsa partiretur. At uulpes illas treis parteis in unum colligens, ac prædæ nihil sibi seorsum relinquēs, leoni omnia tradidit. Tunc leo uulpi ait, *Quis te partiri edocuit?* Inquit ex tempore uulpes: Asini periculum id me facere instruxit. Fabula significat, quod aliorum pericula homines faciunt cautores.

DE LEONE CVIVSDAM RVSTICI  
filiam amante.

62

**L**eo cuiusdam rustici filiam amabat. Illam quū habere cuperet, patrē uirginis rogauit, ut sibi nubere ipsam assentiret. Et rusticus ait, Nullo pacto modo se assensurum, quod filia bestiæ nubat. Quum illum leo torue aspiceret, ac dentibus frenderet, rusticus mutato consilio ait, se cupere ei filiam nubere, modo dentes & ungulas prius cedat euellatq; quoniam uirgo illis rebus longe terretur. Leo id postquam præ nimio amore fecit, rusticum adiens, filiam sibi dari postulat. At rusticus leonem quum ungulis & dentibus perspicit inertem, arrepto fuste illum frequens pulsando persequitur. Fabula significat, quod qui inimicis se committit, de facili perit.

DE LEAENA ET UULPE.

63

**L**eäna quū à uulpe saepius exprobraretur, quod quo libet partu unum duntaxat pareret catulum, ait, Vnum sanè, at pol leonem.

Fabula significat, quod pulchritudo haud inopia rerum, sed in uirtute consistit.

DE LVPO ET GRVE.

64

**L**vpus in gutture osse retento quum longe cruciare tur, grui pretium obtulit, si illud è gutture extrahes ret.

ret. *Grus* *nostro* quum os è gutture extraxit, pretium sibi promissum expostulat. *Ei* *lupus* surridens, simulq; dentes acuens, ait, *Satis* *pretij* *tibi* *esse* *debet*, *quòd* *ex* *lupi* *ore* *caput* *sine* *læsione* *eduxeris*.

Fabula significat, quòd apud improbos gratitudo non parua habetur, si pro obsequio quis detrimentum non recipit.

## DE LVPO ET AGNO.

63

**L**upus quum agnum inuenisset errantem, cum non cepit fortissima manu, sed causam quæsiuit, quo iure uel iniuria eum comedeleret. Igitur agno uerba huiusmodi fecit, *Tu mihi abunde iam diu intulisti iniurias. Agnus gemendo* ait, *Quomodo id fieri potuit, quum nuper rimme uenerim ad lucem?* Lupus denuo ait, *Agrum mihi pa scendo deuastasti. Agnus inquit ei, Quum dentibus etiam caream, id facere yequiui.* Lupus rursum ait, *Ex meo quoque fonte bibisti. Ei inquit agnus, Quo pacto id fieri potuit, quum aquam ex ætate nondum biberim, sed lac matris cibus & potus adhuc mihi sit?* Lupus demum ira concitus ait, *Licet tua soluere nequeam argumenta, coenare tamen opipare intendo, agnum' que cepit, ac illum manducauit.*

Fabula significat, quòd apud improbos ratio & ueritas locum haud habent.

## DE DVOBVS GALLIS, INTER se certantibus.

66

**D**uo galli inter se ruri certabant, qui gallinarum prior dux erat, quum ab altero superatus esset, præ uerecundia se abscondit. Alter uero uictoria elatus, domus tectum

rectum statim superiuolans, uehementi alfarum plausu can  
trq; significat se riualcm suum pugnando superasse, &  
de aduersario ferre trophæum. Dum hæc & huiusmodi  
iactabundus uoce crocizat, ecce aquila cibi indiga ex  
alto deuolans, gallum unguibus rapit, ac pullis suis in aliæ  
moniam contulit. Quā rem, qui uictus fuerat gallus, pro=  
spiciens, ceu ex hoste triumphans, in publicum uenit, ac  
solus gallinis libere potitur.

Fabula significat, quod qui prosperis nimium fudit, in  
aduersa saepius præceps incidit.

## DE VATE QVODAM.

67

**F**oro urbis medio, quidam uates cuiuis sortem ape=  
riebat futuram. Quamobrem magna hominum fre=  
quentia stipatus, dum uni & alteri suam aperit sortem,  
ei nunciatur, res suas furtim domo esse ablatas. Quo audi=  
to, domum curriculo dum abit, quidam ei obuiam factus,  
ridicule ait, Quur alios quid esset futurum monebas, qui  
tuæ sortis nescius fuisti?

Fabula significat, quod homines nequā corrigūt alios,  
& sua crimina scire se negligunt.

## DE FORMICA ET COLUMBA.

68

**F**ormica sitiens in fontem descendit: ubi dum bibere  
uult, in aquam cecidit. Columba quædam arborē fon=  
ti imminentem supersedēs, quum formicā aquis obrui con=  
spiceret, ramulum ex arbore rostro continuò frangit, ac  
sine mora deicxit in fontem. Ad quem formica se appli=  
cans, ex aquis in tutum se recepit. Obiter auceps qui=  
dam aduenit, & ut columbam uenetur calamos erigit.  
Formica id percipiens, pedem alterum momordit aucupi.

EO

Eo dolore auceps concitus, calamos demittit. Quorum strepitu columba territa, ex arbore aufugiens, uitæ periculum evasit.

Fabula significat, quod quum bruta in beneficos gratia sint, eo magis esse debent, qui participes sunt rationis.

## DE VITULO ET CERVA.

69

**V**itulus ceruæ aliquando ait, Quum magnitudine sis maior canibus, & pedum celeritate cursu uelocior, & ad pugnam longe cornibus munitior, cuius rei gratia mater tantopere canes reformidas? Ei cerua inquit surridens, Quoniam fili licet quæ dicis, omnia possideam, canum latratum ferre non possum, sed præ timore fugam statim arripi.

Fabula significat, quod qui natura timidi sunt, apud eos ut audcant, nulla ualeat hortatio.

## DE APE ET IOVE.

70

**A**pes, quæ ceruæ mater existit, quondam accedens ut ad ipsijs sacra faceret, Ioui donum obtulit mellis. Quia oblatione Iuppiter lætus, iussit sibi cōcedi, quicquid ipsa precaretur. Apes igitur rogās, ait, Illustriſſime deus deorum, ancillæ tuæ concedere uelis, ut quicunque ad alueare pro rapiendo melle accesserit, is simul ac pupugero eum, continuo moriatur. Quia rogatione Iupiter diu ambiguus, quoniam genus mortalium longe amabat, demum api ait, Satis sit tibi, quod quicunq; alueare pro rapiendo melle accesserit, si eum pupugeris, & in punctura stimulū dimiseris, continuo ipsa moriaris, tibiq; uita sit ipse stimulus. Fabula significat, quod inimicis quandoq; mala precamur, quæ in nos ſepius uertuntur.

De Mu

*illis aures præstare quis non debet.*

## DE LIGNATORE QVODAM.

74

**L**ignator quidam dum iuxta flumen deo Mercurio dicatum ligna cæderet, securis casu decidit in flumen. Multo igitur mœrore comprehensus, iuxta fluminis ripam gemens consedebat. Mercurius misericordia motus lignario apparuit, suiq; fletus causam rogauit: quam simul ac didicit, securim auream deferens, utrum quam perdiderat illa esset, rogauit. At eam pauper suam esse negauit. Secundo Mercurius alteram detulit argéteam. Quam quum pauper ille suam quoque esse denegaret, postremo Mercurius ligneam sustulit. Illam suam esse quum pauper assentiret, Mercurius cognoscens illum esse hominem uerum iustumq;, omnes sibi dono dedit. Accedens igitur ad socios lignarius, quod sibi acciderat aperit. Vnus ex socijs id experiri uolens, quum ad flumen accessisset, securim in aquam deiecit: deinde flens in ripa consedit. Cuius Mercurius fletus causam doctus, securim auream afferrens, si quam perdiderat illa esset, rogauit. Quam quum suam esse assereret, Mercurius cognita eius impudentia ac mendacio, nec auream nec suam quoque tradidit.

Fabula significat, quòd quanto deus propitior est probis, eo improbis existit infestior.

## DE ASINO ET IOVE.

75

**A**sinus olitori cuidam seruiens, quum parum comedere ret et multum laboraret, louem exorauit, ut aliud dominum sibi mutaret. Itaque Iupiter mandat ut figulo ueneat. Apud quem asinus quum laboraret, in deportando lutum, lateres, tegulas, et huiusmodi, secundo louem precatur

precatur, ut alio deseruiat domino. Iupiter iterū mandat, ut Coriario uenundetur. Cui asinus multo cum labore & paucō cibo seruiens, Heu me miserum, cū gemitu ait, quid dominos omittens meliores, ad deteriorem perueni, apud quem, ut uideo, coriū mecum etiā post mortē cruciabitur?

Fabula significat, quod priores dominos tunc serui desiderant, cum deteriores experiuntur.

## DE LEPORIBVS ET RANIS. 76

**L**e pores in unum simul conuenerunt, ubi cum de miseria ipsorum innata doleret gemitus ue, quod uita eis, quam cæteris animalibus data esset miserior, quoniam homines, aquilæ, & canes, ad mortem eos usque persequerentur, decernunt melius sibi fore semel mori, quam in uita tam misera diutius permanere. Hoc certo cōfilio, ut se in stagnum præcipitent, dum ocyus tendunt, ranæ quæ super stagni ripa astabant, ut strepitum audiunt, in stagnum desiliunt, seq; aquis submergunt: quam rem qui lepus præibat cum conspicatur, reliquis ait, State, nam nobis sententia mutanda est. Quippe ut liquido uidetis, animalia, quam nos, magis timida reperiuntur.

Fabula significat, quod cum miser miseriorem spicit, suam æquius miseriam fert.

## DE ASINO ET EQVO. 77

**A**sinus cum equum alimonia & ocio diligenti cura abundare perspiceret, eū longe beatum esse cōmendabat, seq; nimium infelicem dicebat. Qui cum multum laboraret, & ad saturitatem de paleis haud haberet, cum tempus belli aduenit, mules armatus equum ascendit, ac cum medios decurrit in hostes, equus mucrone per-

*cussum, cadit humi prostratus. Quem asinus prospiciens, ingemuit, eiusq; misertus, sui animi sententiam mutauit.*

Fabula significat, quod cum paupertate, quae mater est quietis, quis conuenire debet, potius quam locupletioribus inuidere.

## DE ASINO ET LVPO.

78

**A** Sinus quidam pede altero sentem calcauit, claudusq;  
factus, cum lupum ad se uenientem conspiceret, nec  
fugere posset, miserabili uoce inquit, Heus lupe demorior  
equidem è dolore, sed ex quo opus est ut tibi & coruis  
futurus sim cibus, obsecro quatenus tua benignitate sen-  
tem è pede uelis extrahere, ut munere tuo extremum sine  
dolore obeam diem. Dum sentem dentibus lupus euellit,  
asinus eum calce percussit. Lupus deinde naso, fronte, ac  
dentibus perfractis, Heu me miserum, exclamat, iure hoc  
patior, deplorando reiterat. Qui cum essem coquus, me-  
dicus esse uolui. Fabula significat, quod quam quisq;  
nouit, ea se exerceat arte.

## DE MULIERE ET GALLINA.

79

**M**ulier quædam gallinam habebat, quæ aurea con-  
tinua oua pariebat, putans igitur totam intus au-  
ream esse illam, occidit. Sed cum alijs gallinis esse similem  
reperit, ubi diuitem se fore putauit, quem primo quæstum  
habebat, eum plus habendi cupiditate amisit.

Fabula significat, quod plus habendi cupiditate id sa-  
pe perdimus, quod habemus in manibus, lucrum.

## DE RANA ET VVLPE.

80

**R**Ana in palude existens, cæteris animalibus clamando cum profiteretur se medicam esse, pharmaco-  
rumq;

**R**umq; peritam, ei uulpes uenustissime ait, **Q**ui alios cura ueris, cum claudicantem curare te nescias?

Fabula significat, quod alios docere quis non potest id quod haud didicerit.

## DE SERPENTE ET AGRICOLA. 81

**S**erpens ante agricolæ cuiusdam domum latebras habens, cum ab agricolæ filio esset percussus, tam acriter ipsum momordit, quod morsu ex illo puer repente obiit. Hac re cognita, magnus inter parentes gemitus oritur. Tum pater mœrore concitus accepta securi, serpentem ut occideret, persequitur, uibransq; securim, ut serpentem percuteret, extremū caudæ eius cecidit, deinde uolens pacem cum serpente cōficere, acceptis farina, aqua, sale, & melle, ad reconciliandum inter se amicitiam uocat serpentem. Ei serpens sub petra latens, sibilando ait, Frustra laboras bone vir, nam inter nos amicitia fore non potest: quippe dum me sine cauda aspexero, & tu tui filij sepulchrum, quieti animo esse nequibimus.

Fabula significat, quod dum iniuriarum recens uel maxime extat memoria, odia tolli minime queunt.

## DE GALLINA ET UVLPE. 82

**V**ulpes gallinarum tugurium ingressa, cum gallinā nido ægrotantem aspexit, eā rogauit quomodo ualeret. Cui gallina prompte respondit, Meliuscule me habberem, si hinc abires soror. Fabula significat, quod inimicorum præsentia, nimium est molesta.

## DE VIATORE. 83

**V**iator quidam cum multam uiam uiasset, uotū Mercurio uouit, quod si quid reperiret, eius rei mediū

m 3 sibi

sibi offerret. Forte igitur adinuenit peram amygdalis dactulisq; refertam, & cum putaret id esse argentum, peram capiens amygdalarū nucleos & carnes dactulorum ipse comedit. Deinde templum Mercurij ingressus, atq; aram manibus tenens, uerbis ridiculis inquit ad eum, Votum Mercuri nunc persoluo tibi. Nam quas equidem res adinueni, earum tibi offero medium, ossa scilicet dactulorum, ac testas amygdalarum.

Fabula significat, quod homines auaritia, deorum efficit contemptores.

## DE LEONE ET HOMINE.

84

**L**eo & homo cum semel simul uiam uiarent, ac interuiandum se quisque uerbis commendaret, ecce lapi-  
deæ occurrunt columnæ, in qua erat incisum, quod homo suffocabat leonem, quam sculpturā homo leoni ostendēs  
ait, Hic uidere licet, quanto homines leonibus, ac feris  
omnibus præstantiores sunt, ac robustiores. Et leo pro-  
pte respondens, inquit, Si apud leones essent ceu apud ho-  
mines, qui sculpere sciret, plures à leonibus homines, quā  
ab hominibus leones suffocari sculptos uideres.

Fabula significat, quod homines iactabundi fingunt se  
fecisse, quæ facere nunquam tentarunt.

## DE VULPE QVADAM.

85

**V**ulpes cum racemos uuarū plenos iam ac mature-  
scentes prospiceret, cupida de illis manducare, om-  
nem uiam machinata est, qua illos comprehendere pos-  
set. Sed cum omnem uiam frustra tentasset, nec desiderio  
suo satis facere quiuisset, mœstitiam uertens in gaudium  
ait, Racemi illi adhuc nimium sunt acerbi.

Fabula

Fabula significat, quod prudentis est fingere se ea nolle, quae consequi non posse cognoscit.

## DE PVERO ET SCORPIONE. 86

**P**er quidam ruri uenabatur locustas, et cum scorponem capere uellet, scorpio simplicitate eius cognita, ait ei, Heus puer, dege in pace, ac manum abstine, si non uis tutus perire.

Fabula significat, quod qui ad utranque partem cogitat, is quae sequi et quae uitare debeat probe tenet.

## DE VENATORE ET PERDICE. 87

**V**enator quidam cum quam ceperat perdicem occidere uellet, perdix gemēs huiusmodi uerba fecit ad eum, Heus perdicū auceps, si me missam feceris, ac uitam donaueris, alias perplures conducam tibi perdices. Ei auceps apposite respondit, Nunc eo magis occidi dignam iudico, quod amicos per insidias perdere polliceris.

Fabula significat, quod qui sibi charos perdere dolo querit, is præceps in pericula incidit.

## DE LEPORE ET TESTUDINE. 88

**T**estudo, cum eius pedes lepus derideret, surridens inquit ad eum, Si periculū in cursu feceris, quod quam tu uelocior sim, liquido cognosces. Cui lepus ait, Te profecto fugit, quid mei ualeant pedes, sed iudicem eligamus, qui cursum et terminum nobis diffiniat. Igitur eligunt uulpem brutorum omnium sagacissimam, quae ut locum et cursus terminum constituit, testudo omni segnitie ac negligentia semota, iter arripiens haud quieuit, donec ad terminum peruenit. Lepus uero pedibus fidens, ubi paululum quieuit, somno excitatus, quantum

*pedes ualuerunt, ad terminum cucurrit, ibiq; cum testudinem quiescentem reperit, se cum rubore fatetur à testudine superatum.* Fabula significat, quod studio & diligētia, non corporis uiribus, res uel maximæ conficiuntur.

## DE SALICE ET SECVRI.

89

**S**Ecuris cum salicem cæderet, ex ea ipsa cuneos fecit, quibus salicem facilius scinderet. Quam rem præsentiens salix gemens eiulansq; ait, Non tantū de securi queror, quæ hominum manibus me scindit, quantū de cuneis, qui fiunt ex corpore meo.

Fabula significat, quòd in aduersis, non ueri amici infestiores amucis, quàm inimici sæpius redduntur.

## DE PVERO QVODAM FVRE.

90

**P**Ver quidam è ludo literario librum socio clām auferens, suæ matri tradidit illum, quem mater cum libenter accepisset, nec filium castigasset, rursus puer alij uestem clām abstulit, atque matri quoque detulit, quam cum mater etiam libenter accepisset, puer castigatione carens, cum plura in diem ac maiora crescentibus annis fūraretur, demum publice captus, ceu furti reus, per quæstores publice damnatus est mortis. Sed cum ad locum iustitiæ duceretur, eumq; mater gemebunda sequeretur, impetrata uenia ut matri ad aurem unum loqui uerbum ualeret, ad eam conuersus atque os auri matris adhærens, uti quippiam secreto dicturus, aurem dentibus sibi abscedit. Mater uero præ dolore exclamans, mala sibi imprecatur. Tunc qui eum ducebant, cum supra modum crimina=rentur, non solum furti, sed quòd tam impius fuerit in ma=tre, ille absque rubore inquit ad eos, Nemini uestrum sit mirum,

*fit mirum, quod aurem matris dentibus abscidi. Ipsa enim huius meae perditionis autor et causa est. Quippe si me castigasset, cum ei librum detuli, quem socio e scholis primum clam abstuli, omisis pre timore uerberum furtis, ad hoc in praesentia genus turpisimae mortis non peruenissem. Fabula significat, quod qui in delinquendo ab initio non castigatur, facinorosior in diem efficitur.*

## DE PASTORE ET MARI.

91

**P**astor quidam iuxta littus maris pecudes pascens, cum mare ipsum semel placidum aspiceret, nauigandi studio captus, oves pro dactulis commutauit, quibus naui impositis, cum altum iam nauigaret, et tempestate sine spe salutis fluctuaret, que in naui sunt, ea omnia proiecit, atque in portum se recepit. Denuo cum oves pascere, ac rursus mare tamen tranquillum uideret, suo consocio ipsam maris tranquillitatem commendanti ridicule ait, Mare iterum dactulos cupit.

Fabula significat, quod usus et peritia nos reddunt in periculis cautores.

## DE PVNICA ET MALO AR-

boribus.

92

**P**vnica et malus arbores, de pulchritudine contentebant, cum diu inter se uarijs, et acerbis contentionibus certassent, rubus ex proxima sepe huiusmodi contentiones accipiens, accessit ad eas, atque inquit, Satis iam satis certatum inter uos est, quiescite admodum, et contentionibus finem imponite.

Fabula significat, quod minores maiorum lites saepe a numero componunt.

## DE TALPA ET MATRE.

93

**T**Alpa cæcum natura animal est. Hæc aliquando matris ait, Ingentem sentio odorem, parum post rursum ait, Excelsam aspicio fornacē. Tertio item ait, Malorum sonitus audio fabriles. Ei mater comiter ait, Heus filia, tu uti percipio, non solum oculis, sed naso & auribus orba existis.

Fabula significat, quod homines iactabundi cum magna profitentur, tunc uel maxime in minimis redarguuntur.

## DE VESPIS, PERDICIBVS,

&amp; Agricola.

94

**V**Eſpæ ſemel, & perdices ſiti concitæ, cum ſimul conueniſſent, ad rusticum quendam tendunt, potum ab eo petentes, atq; pollicentes, quod ſibi pro aqua largas referrent gratias. Quippe perdices uineam ſe ei fodere promittunt, quod plenos uites producūt racemos. Vespa uero, ſe uineam circuēdo cuſtodire, ac fures inde amouere large offerunt. Quibus agricola inquit, Duos habeo boves, qui cum nihil promittant, eandem hanc operam nihil minus præſtant. Itaque ſatiuſ eſt mihi, illis quam uobis aquam exhibere. Fabula significat, non eſſe illis ſubueniendum, qui nauci & inutiles ſunt.

## DE IOVE.

95

**C**Vm Iupiter nuptias celebraret, cuncta animalia ſibi munera obtulerunt, quæque pro uiribus suis. Uerum enim ſerpens roſam legit, illamq; ore tenens Ioui ob tulit. At Iupiter ut eum aspexit, palam inquit, Ab omnibus dona libenter equidem accipio, uerum à ſerpente id haud quaquam facio.

Fabula

Fabula significat, improborum munera non esse sine dolis, quamuis prudens sibi persuadere debet.

## DE SIMIA.

96

**S**i miam duos catulos parere fertur, quorum ad unum duntaxat afficitur, & ex affectu illum diligentissime nutrit. Alterum uero odit negligitq;. Contigit autem quod qui in delitijs habebatur, à simia in somnis fuit suffocatus. Quamobrem qui neglectus erat, ad perfectam usq; ætatem ceu matris delitijs, fuit educatus.

Fabula significat, quod hominum prudentiam fortuna proculdubio superat.

## DE PVLICE.

97

**P**ulex cum quendam morsu aliquando stimulasset, captusq; rogaretur, quisnam esset qui membra sibi depasceret, ait se ex eo animalium genere esse, quibus à natura datum esset, ut eo pacto uitam uiuant, nec eum occidere uelit, cum multum mali facere ipse sibi nequeat. At homo ille surridens, inquit ad eum, Eo magis meis neceberis manibus, quoniam nec multum, nec parum abs requempiam lædere licet.

Fabula significat, quod malorum, licet parum, uel multum delinquant, misereri haud oportet.

## DE PVLICE ET HOMINE.

98

**P**ulex suo solito more saltans, super hominis pede resedit, illumq; morsu acriter pupugit. Qua punctione homo ille grauiter concitus, pulicē cepit, ac unguibus obtundere uoluit. Sed pulex manibus exiliens morte uitauit. Tum homo exclamans ait, O hercules malorū extinxtor, ecquid mihi in hunc opprimendum præsens non fuisti?

Fabus

Fabula significat, quod non in minimis, sed in magnis  
arduisq; rebus, à dijs auxilium quis implorare debet.

DE FORMICIS ET CICADA. 99

**H**iemis erat medium, cum formicæ sparsum triticum  
apricabant. Quod cicada aspiciens, cum inedia con-  
ficeretur, accessit ad eas, ac triticum pro alimonia, ut sibi  
concederent, oravit. Et cum formicæ eam rogarent quid-  
nam æstate fecerit, num segnis, & ociosa eo tempore ste-  
terit, illis cicada ait, Neq; segnis aut ociosa steti, sed can-  
tu cecini, quo laborem uiae uiantibus leuabam. Qua re au-  
dita, formicæ surridētes inquiunt, Si æstate cecinisti, ut ui-  
antes delectares, nunc salta ne frigore conficiaris.

Fabula significat, quod qui, quæ facienda sunt suo tē-  
pore non fecit, is in angustias quando non putat, incidit.

DE VIRO ET UXORIBVS. 100

**T**empus erat ueris, quo quidam in delitijs educatus  
cum nec iuuenis, nec senex esset, semicanus enim  
erat capillos, duas simul duxit uxores, unam quidem natu-  
grandem, alteram uero iuniorem. Cum omnes eandem ha-  
bitarent domum, uxor anus ut uirum in amorem suum to-  
tum pelliceret, quotidie uiro caput pertractans, nigros si-  
bi euellebat capillos. Postremo ita illum depilarunt, quod  
caluum atq; ridiculum, non sine summo opprobrio, uirū  
reddiderunt.

Fabula significat, quod nulla melior salus senibus exi-  
stet, quam fœminis carere, & maxime iunioribus, nisi pe-  
nitus obrui se uelint.

Apolo

# APOLOGI EX CHI LI ADIBVS ADAGIORVM

Erasmi desumpti ad communem pue=  
rorum fructum.

## DE VVLPECVLA ET PARDALE.

**C**Vm aliquando pardalis uulpem præ se cōtemneret,  
quòd ipsa pellem haberet omnigenis colorum macu=  
lis uariegatam, respondit uulpes sibi id decoris in animo  
esse, quod illi esset in cute. Morale.

Neq; uero paulo satius est ingenio præditum esse ua=   
fro, quam cute uersicolore.

## DE VVLPE ET FELE.

**C**Vm aliquando uulpes in colloquio, quod illi erat cū  
fele iactaret sibi uarias esse technas, adeo ut uel pe=   
ram haberet dolis refertam: Feles autem responderet sibi  
unicam duntaxat artem esse, cui fideret, si quid esset discri=   
minis: Inter confabulandum repente canum accurrētium  
tumultus auditur. Ibi feles in arborem altissimam subsiliit,  
cum uulpes interim à canum agmine cincti, capitur.

Morale.

Innuit fabula præstabilius esse nonnunquam unicum  
consilium, modo id sit uerū et efficax, quam plureis do=   
los, consiliaq; friuola.

## DE REGE ET SIMIIS.

**R**Ex quidam Aegyptius aliquot simias instituit, ut  
saltandi rationem perdiscerent, ut enim nullum ani=   
mal ad figuram hominis proprius accedit, ita nec aliud  
actus humanos aut melius, aut libētius imitatur. Artē itaq;  
saltan

saltandi, protinus edoctæ, saltare cœperunt, in signibus induitæ purpuris, ac personatæ. Multoq; iam tempore maio rem in modū placebat spectaculum, donec è spectatoribus facetus quifpiā, nuces, quas clanculum in sinu gestabat, in mediū abiecit, ibi statim simuæ, simulatq; nuces uidissent, oblitæ choreæ, id esse cœperunt, quod antea fuerat, ac repetere è saltatricibus in simuas redierūt. Cōtritisq; personis, dilaceratis uestibus, pro nucibus inter se depugnabat, nō sine maximo spectatorum risu.

Morale.

Admonet hæc fabula, fortunæ ornamenta non mutare hominis ingenium.

## DE ASINO ET VIATORIEVS.

**D**uo quidam, cum in desertis locis asinum quempiā forte fortuna nacti essent, contendere inter se cœperunt, uter eorum, uti suum, domum abduceret. Nā utriq; pariter à fortuna uidebatur obiectus. Hac interim de re illis inuicem altercantibus, asinus sese subduxit, ac neuter eo potitus est.

Morale..

Quidam à præsentibus commodis, quibus ob inscitiā uti nesciunt, excidunt.

## DE PISCATORIBVS.

**P**iscatores aliquot, iacto reti, testudines eduxerūt, eas cum essent inter se partiti, neq; sufficerent omnibus comedendis, Mercurium forte accedentem inuitarunt ad cōuiuium. At is intelligēs se neutiquā humanitatis gratia uocari, sed ut eos fastidito cibo subleuaret, recusauit, iussitq; ut ipsi suas testudines ederent quas cepissent.

Morale.

Nōnulli posteaquā inconsulte quippiam aborti sunt,  
alio

aliorum implorant auxiliū, quos suo negotio admisceant.

## DE ASINO.

**A** pud Cumanos asinus quispiam pertæsus seruitutem, abrupto loro in syluam aufugerat, illic forte reper- tum leonis exuvium corpori applicabat suo, atque ita pro leone sese gerebat, homines pariter, ac feras uoce, caudaq; territans. Nam Cumani leonem ignorant. Ad hunc igitur modum regnabat aliquandiu personatus hic asinus, pro leone immanni habitus ac formidatus, donec hospes quispiam Cumas profectus, qui saepenumero uiderat et leonem & asinum, atque ob id non erat difficile dignoscere, aurium prominentiū indicio, neq; nō alijs quibusdam coniecturis asinum esse deprehendit, ac probe fustigatum reduxit, dominoq; agnoscendi reddidit. Interim autem risum non mediocrem concitabat omnibus Cumanis asinus iam agnitus, quos dudum creditus leo, metu propemodū exanimauerat.

Morale.

Haud facile tegimus uitia, quæ à puero nobiscum adoleuerunt.

## DE SCARABEO ET AQVILA

**S**carabeus aliquando spretus ab aquila, cœpit de uin- dicta quoquo pacto sumenda cogitare. Peruestigauit ubinam aquila nidum collocasset, adrepst scarabeus, & oua simili dolo deiecit. Aquila cum saepius domicilium commutasset, neque quicquam proficeret, Iouem patro- num adiit, exponit calamitatem suam. Is iubet ut suo in gremio ponat oua, uel istic in tuto futura. Et hoc per ue- stis lacinias, sinusq; prorepst pertinax scarabeus, haud- quaquam sentiente Ioue. Deinde ubi uidet oua cōmoueri

Iupiter

**I**upiter, neque satis animaduertit, territus rei nouitate, excusso gremio in terram deiecit. Morale.

Monet hæc fabula, neminem quantumvis pusillum contemnendum esse.

DE SIMIIS ET PARDALE.

**I**N Maurisia simiarum ingens copia. Pardalis autem animal est natura simijs infestissimum, quas tamen uiribus assequi non potest, nimurum illis in summas arbores subuolantibus. His itaque dolis in eas utitur. Sternit se supinam sub ramis, ac porrectis cruribus emori fingit se. Gaudent eo spectaculo simiae considerantes in arbore, deinde ubi iam mortuam arbitrantur, unam aliquam emitunt exploraturam, num uerè mortuus sit hostis. Illa cautim accedens ubi nullum uitæ uidet argumentum, Pardale nimurum modis omnibus cadauer imitante, demū audet etiam consondere. Quod simul ac reliquæ simiae conflexerunt, iam deposito omni metu descendunt, & Pardalim omnia ferentem circunsunt. Postremo conculcant insultantes, ludibriij causa, donec sentiens illas iam saltando defatigatas, derepente reuiuiscens, aliam dentibus, aliam unguibus corripit, dilaniat ac deuorat.

Morale.

Hostem simulanten uires deficere, summopere fugiendum esse.

DE SATYRO ET RUSTICO ANIANI

fabula, Erasmo quoque interprete.

**S**Atyrus quidam cum uehementer algeret, hyberno gelu supra modum fæuiente, à rustico quodam inductus est in hospitium. Admiratus autē cur homo inflaret in manus

*manus ori admotas, rogauit cur ita faceret, is respondit,  
ut frigidas manus halitus tempore calefacaret. Deinde ubi  
extructo foco, apposita mensa in pultem feruidam rur=*  
*sum inflaret, magis etiam admiratus sciscitatus est, quid  
hoc sibi uellet. Vti pultem, inquit ille, nimium feruentem,  
halitu refrigerem. Tum Satyrus surgens à mensa, Quid  
ego audio inquit? Tun' codem ex ore pariter & calidum  
& frigidum efflas? Valebis, neque enim mihi ratio est cū  
cuiusmodi homine commune habere hospitium.*

## Morale.

*Notantur bilingues, qui eundem modo laudant, modo  
uituperant.*

*Is qui emendandis his fabulis præfectus fuit, sequentes  
apologos ex uarijs & his optimis autoribus collegit, ut  
à pueris quoque legerentur, quibus nunquam est bene in=*  
*structa, atque copiosa bibliotheca.*

F A B E L L A E X L A M I A P O=  
L I T I A N I D E S V M P T A.

**A**ves olim prope uniuersæ, noctuam adierunt: roga-  
runtq; eam, ne posthac in ædium cauis nidificaret,  
sed in arborum potius ramis, atque inter frondes: ibi  
enim uernari suauius. Quin eidē quercum modo enatam  
pusillam, tenellamq; adhuc ostendebant, in qua scilicet  
molliter (ut aiebant) & sidere ipsa aliquando noctua, &  
suum sibi construere nidum posset. At illa facturam se ne  
gauit. Quin inuicem consilium dedit his, ne arbustulæ  
illi se crederent: laturam enim quandoq; esse uiscum, pe-  
stem uidelicet auium. Contempsero ille (ut sunt leue ge-

nus, & uolaticum sapientis unius noctuæ consilium. Iam quercus adoleuerat, iā patula, iam frōdosa erat. Ecce ibi aues illæ omnes gregatim ramis inuolitant, lasciuunt, sub sultant, colludunt, cantillāt. Interea quercus ea uiscū protrulerat, atq; id homines animaduerterant, implicitæ ergo repente ibi omnes pariter misellæ, ac fruſtra eas scra pœnitentia subijt, quòd salubre illud consilium ſpreuiffent. Atque hoc eſſe aiunt, cur nunc aues omnes, ubi ubi noctuam uiderint, frequentes eam quasi salutant, deducūt, ſe etantur, circumſidunt, circumuolitant. Etenim cōſilijs illius memores, admirātur eam nunc ut ſapientē, ſtipantq; dēſa caterua, ut uidelicet ab ea ſapere aliquando diſcant. Sed opinor fruſtra, imò uerò etiā interdum cum magno ipſa rum malo. Nā ueteres illæ noctuæ reuera ſapiētes erāt: nunc multæ noctuæ ſunt, quæ noctuarum quidem plumas habent, & oculos, & roſtrum, ſapiētiam uerò non ha- bent.

### Morale.

Bene monentis conſilia ne ſpernas, hæc fabula docet.

### A P O L O G V S E X S E C V N D O

libro Petri Criniti de honesta disciplina defumptus.

**S**Ata eſt olim cucurbita iuxta arborem pinū, quæ gran dis admodum & ramis patulis extabat, cucurbita uerò cum multis pluuijs, atque cœli temperamento creuifet, laſciuire incipit, & ramulos audacius porrigere. Iam ſerpebat in pinum, iam ſurgere, iam ramos, & frondes inuoluere audebat, ampliora folia, candenteis flores, prægrandia

**graudia poma, & uiresentia ostentans.** Itaque tanto fa-  
stu, atque insolentia intumuit, ut pinum arborem ausa sit  
aggredi. Et uides, inquit, ut te supero, ut amplis folijs,  
ut uirore præsto, & iamiam ad cacumen prosurgo? Tum  
pinus quæ senili prudentia, & robore pollebat, nihil mi-  
rata est cucurbitæ insolentis audaciam, sed ita ad eam re-  
spondit, Ego hic multas hyemes, calores, aestus, uariasq;  
calamitates peruici, & adhuc integra consisto. Tu ad pri-  
mos rigores minus audaciæ habebis, cum & folia conci-  
dent, & uiror omnis aberit. Morale.

Secundis rebus non esse superbiendum.

F A B E L L A D E C O R V O E T  
Lupis, ex Ioanne Antonio Campano  
desumpta.

**C**oruus lupos per ardua montium iuga comittatur,  
Partem sibi prædæ fieri postulat, qui eos secutus  
nullo tempore destituisset, sociusq; fuisset. Repulsus de-  
inde à lupis, tanquam non eos, sed prædam cibumq; secu-  
tus, nec minus lupo rum si occideretur, quam cæterorum  
animalium exta fuisset uoraturus.

Morale.

Non quid agamus semper inspiciendum est, sed quo  
sumus animo, cum agimus.

A L T E R A D E P A R T V T E R R A E.

Ex eodem.

**T**Urgida olim factatellus, & mirum in modum tu-  
mida, magnum aliquod paritura uidebatur. Accur-  
runt finitimi, stupent agricole, terræ partum inter spem,

n 2 metumq;

metumq; expectant, alij Typhoëa illum centimanum, alij montes erupturos putabat. Aperitur terra, prodit mus, & quod miraculo fore omnibus arbitrabantur, in risum, atq; iocum conuerterunt.

## Morale.

*Non semper credendum promissis magnificis.*

A P O L O G V S D E M E M=  
bris & uentre, ex Plinio de=  
sumptus.

**H**Umani artus cum uentrem ociosum uiderent, ab eo discordarunt, & suum illi ministerium negauerunt. Cum eo pacto, & ipsi quoque deficerent, intellexerunt uentrem cibos acceptos, per omnia membra diuideare, & cum eo in gratiam redierunt.

## Morale.

*Magnæ res discordia pereunt, concordia ualent.*

## E X S E C V N D O N O C T I V M

Atticarum Gellij, Apologus Aesopi Phrygis  
memoratu non inutilis.

**A**Esopus ille è Phrygia fabulator, haud immerito sapiens existimatus est, cum quæ utilia monitu, sua- suq; erant, non seuere, nō imperiose præcepit, & cēsūt, ut philosophis mos est, sed festiuos, delectabilesq; apolo- gos commentus, res salubriter, ac proficenter animad- uersas, in mentes, animosq; hominum, cum audiendi qua- dam illecebra induit, uelut hæc eius fabula de auiculae ni- dulo, lepide atque incunde præmonet, spem fiduciamq; rerum,

rerum, quas efficere quis possit, haud unquam in alio,  
 sed in semetipso habendam. Auicula, inquit, est parua, no-  
 men est cassita, habitat nidulaturq; in segetibus, id fermè  
 temporis, ut appetat messis, pullis iamiam plumatisbus. Ea  
 cassita, in sementes forte concederat tempestiuiores, pro-  
 pterea frumentis flauescentibus, pulli etiam tunc inuolu-  
 cres erant. Cum igitur ipsa iret cibū pullis quæsitum, mo-  
 net eos, ut si quid ibi nouæ rei fieret diceretur ue animad-  
 uerterent, idq; uti sibi, ut redisset, nūciarent. Dominus po-  
 stea segetum illarum, filium adolescentem uocat, et, ui-  
 des'ne inquit, hæc ematuruisse, et manus iam postulare?  
 Idcirco die crastino, ubi primū diluculabit, fac amicos a-  
 deas, et roges ueniāt, operamq; mutuā dent, et messem  
 hanc nobis adiuuent. Hæc ille ubi dixit, discessit, atq; ubi  
 redit cassita, pulli trepiduli circūstrepere, orareq; matrē,  
 ut statim iam properet, atque alium in locum se se aspor-  
 tet, nam dominus, inquiunt, misit qui amicos rogaret, uti  
 luce oriente ueniant, et metant. Mater iubet eos à metu  
 ociosos esse. Si enim dominus, inquit, messem ad amicos  
 reiecit, crastino seges non metetur, neque necesse est ho-  
 die uti uos auferam. Die igitur postero, mater in pabulum  
 uolat, dominus quos rogauerat operitur. Sol feruit, et fit  
 nihil, et amici nulli erant. Tum ille rursum ad filiū, ami-  
 ci isti, inquit, magnā in partem cessatores sunt, quin po-  
 tius imus, et cognatos, affines, uicinosq; nostros oramus,  
 ut adsint cras tempori ad metendū. Itidem hoc pulli paue-  
 facti matri nunciant. Mater hortatur, ut tum quoq; sine  
 metu, ac sine cura sint, cognatos affinesq; nullos fermè  
 tam esse obsequibiles ait, ut ad laborem capessendum nihil

euocentur, & statim dicto obediāt. Vos modo, inquit, ad uertite, si modo quid denuo dicetur. Alia luce orta auis in pastum profecta est, cognati, & affines operam, quā dare rogati sunt, supersedēt. Ad postremum igitur dominus filio, Valcant, inquit, amici cum propinquis. Afferes primā luce falces duas, unam egomet mihi, & tu tibi capies alteram, & frumentum nosmetipsi nostris manibus cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audiuit, Tempus, inquit, est cedendi, & abeundi, fiet nunc dubio procul, quod futurū dixit. In ipso enim iam uertitur cuius est res, non in alio unde petitur. Atq; ita cassita nidū migrauit, & seges à domino demessa est. Hæc quidē est Aesopi fabula, de amicorū & propinquorum leui & inani fiducia. Sed quid aliud sanctiores libri philosophorū monent, quām ut in nobis tantū ipsis nitamur? Alia aut omnia, quæ extra nos, extraq; nostrū animū sunt, neq; pro nostris, neq; pro nobis ducamus. Hūc Aesopi Apologum Qu. Ennius in satyris scite admodū & uenuste uersibus quadratis cōposuit, quorū duo postremi isti sunt, quos haberi cordi, & memoriae operæ pretium esse hercle puto. Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm, Nequid expectes amicos, quod tu agere possis.

DE ARIONE ET DELPHINO, fabula elegantiissima, ex Lib.  
xvi. Gellij.

**V**etus & nobilis Arion cātator fidibus fuit. Is loco & oppido Methymnæus, terra atque insula omni Lesbius fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum,

cū, amatumq; habuit, artis gratia. Is inde à rege profici=  
 scitur, terras inclytas, Siciliam, atque Italiam uisere. Vbi  
 eò uenit, auresq; omnium, mentesq; in utriusque terræ ur  
 bibus demulxit: In quæstibus istic, & uoluptatibus, amo=br/>ribusq; hominum fuit. Is tum postea grandi pecunia &  
 re bona multa copiosus, Corinthum instituit redire. Na=br/>uem igitur & nautas, ut notiores, amicioresq; sibi Co=br/>rinthios delegit. Sed eo Corinthios homine accepto, na=br/>uiq; in altum prouecta, prædæ, pecuniæq; cupidos, cepi=br/>se consilium de necando Arione. Tum illum ibi pernicie  
 intellecta, pecuniam cæteraq; sua ut haberent dedisse, ui=br/>tam modo sibi ut parcerent, orauisse. Nautas precum eius  
 harum commisertum esse illatenus, ut ei necem adferre  
 per uim suis manibus temperarēt. Sed imperauisse, ut iam  
 statim corām desiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi  
 territus spc omni uitæ perdita, id unum postea orauit, ut  
 priusquam mortem oppeteret, inducere permetterent suæ  
 sibi indumenta, & fides capere, & canere carmen casus  
 illius sui consolabile. Feros & immanes nauitas prolu=br/>bium tamen audiendi subit. Quod orauerat impetrat. At=br/>que ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, stansq;  
 in summae puppis foro, carmen, quod Orthium dicitur,  
 uoce sublatissima cantauit. Ad postrema cantus, cum fidi=br/>bus ornatuq; omni, sicut stabat, canebatq;, eiecit se pro=br/>cul in profundum. Nautæ haudquaquam dubitantes quin  
 perisset, cursum, quem facere cœperant, tenuerūt. Sed no=br/>uum & mirū, & pium facinus contigit. Delphinū repen=br/>te inter undas adnauisse, & dorso super fluctus edito ue=br/>ctauisse, incolumiq; eum corpore, & ornatu, Tænarū in=

terram Laconicam deuexisse. Tum Arionem prorsus ex eo loco Corinthum petiuisse, talemque Periandro regi, qualis Delphino uectus fuerat, sese obtulisse, ei'que rem, sicut acciderat, narrauisse. Regem isthæc parum credidisse, Arionem quasi falleret, custodiri iussisse. Nautas re quisitos, a legato Arione dissimulanter interrogasse, ecce quid audissent in ijs locis unde uenissent, super Arionē: eos dixisse, hominem cum inde irent, in terra Italia fuisse, eumque illic bene agitare, & studijs delectationibusq; urbium florere, atque in gratia pecunia'que magna fortunatum esse. Tum inter hæc eorum uerba, Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus se in salum eiæculauerat extitisse. Nautas stupefactos, conuictos'que ire inficias non quisse.

### Morale.

Documento est hæc fabula, plus aliquando inueniri in brutis animalibus clementiæ, quam in his hominibus, qui præter opes nihil habent pensi, præter figuram nihil humanitatis.

### NICOLAI GERBELII Phorcensis Apologus lepidissimus.

#### DE ARANEA ET PODAGRA.

**A**Ranea paululum à texendo opcre quietior, animi relaxandi gratia commodùm deambulabat. Huic se obuiam præbuit Podagra, tametsi paßibus ambiguis admodum ægre illam assequeretur. Eius diei itinere utcunque emenso, non longe aberant ab oppidulo, cui regionis eius incolæ Tyche nomen indiderat. Vtrique consilium fuit,

fuit, conditionis suæ hospitem præuestigare. Aranea non maximopere data opera, in opulenti cuiusdā ciuis ædes diuertit, inibi quaqua uersum telas suas præpandebat, prætendebatq; retia, aderant ilico, nescio qui trygodæmones qui textrinam illius demoliebantur. Momentaneum itaq; erat ipsius quo etiamnumcunque se uerteret ædificium. Nusquam etenim scopariorū oculatas scopas poterat effugere. Misera planè quæ in tanta rerum omnium affluentia, sola egebat proturbaturq;. Podagra uero mēdicabuli instar uix tandem egestosi cuiuspiam tuguriolum impetrarat. In id loci cū decubuisse, nihil non experiebatur miseriærum. Apponebatur cœnaturienti panis cibarius, ari=dis uix faucibus hianti hydropoterium. Iamq; diurno iti nere laceſſenti, torus ligneus, nullis frondibus nullo gra=mine: sed præteniuibus paleis insternebatur. Atqui dicere non est huius instituti quam conuenerint male membris molibus, cuticulæ (ut ita dixerim) holoſericæ, stragula tā dura, tam barbari uilli. Oriente igitur uix tandem illo au=gusto sydere, quod exaudit, quod intuetur omnia, conue=nere rursum aranea ſimul & podagra. Prior aranea præteritæ noctis molestias, tot locorum commutationes de=narrat, nunc hero exprobrans mundiciem, nunc nimiam scopariorum obſeruantiam. Podagra contrà de hospitis ſui egestate compluria communiscitur. Nec ocium habet administrare Arancæ liuidas uibices, quas adamâtina ful=cra tenellæ cuticulæ impresserant. Consilium ineunt, Ara neam deinceps pauperum tuguria, Podagram uero diu=tum aulas debere subingredi, in hanc Aranea pedibus, Po dagra animis uadit ſententiam. Veruntamē tenebris iam=

iam in crescentibus, urbi cuiuspiam sese approximat. Podagra instituti non immemor, pedetem se in numerosi cuiusdam domum illatebrauit. Quia cōmodū ab hero cōspecta, Dij boni, qua bencuolentia, qua humanitate, quibus nominibus excipitur? Supponūtur, substruunturque olorinæ culicitræ, toralia perdicū subalaribus plumis referta. Taceo uinum dulce, uinū nigrum, Lesbiū Surrentinū. Taceo ficedulas, phasianos, atque eas auiculas quæ binis superbiunt cordibus. In summa nihil deliciarum, nihil uoluptatū non exhauiet. Aranea pauperis casā ingressa, telas ordit, quaqua uorsum parietes interpatent, retia suspendit. Orbiculare operi manibus, pedibusque incumbit. Reficit abrupta, perficit intercepta: Et, ut dicam breuiter, vacua dominatur in aula. Nullas insidias, nullius formidat insultus. Imo uero etiam iam scopis superior omnibus. Non multo post podagra araneam conuenit, delicias suas, felicitatem, fortunas ampliter exornat. Aranea miris laudibus extollit imperium suum, ædificandi texendiisque libertatem. Placuit tandem hæc utriusque sententia, quorsumcunq; proficiscerentur, Podagrum in diuitum domos, Araneam in pauperum tuguria debere diuertere.      Morale.

Apologus hic tametsi ad usus uarios accommodari queat, id tamen in primis declarat, alium alio loco fortunatiorem esse. Præterea morborum domicilium esse diuitum aulas, ad ultimum, ~~nusquam libertatē maiorem, quam~~ ubi diuitiarum minus.

FABVLARVM AESOPI  
eisque adiunctarum,

FINIS.

Laurentij

# L A V R. A B S T E M I I,

V I R I E L E G A N T I S S I M I ,

& amœni ingenij Fabulæ elegantiss. nu= per per clarissimum poëtam & philosophū Gargetiū emaculatæ.

D O M I T I V S P A L L A D I V S

Souranus Pollioni Vadio Sacerdoti uene= rando S. P. D.



A M pridem tuo sermoni de Abstemio frequenti literatorum cōfessu Pollio ue= nerande, non inuitus interfui, cū minime prætextatis (ut ita dicam) laudibus homi nem celebrares, adeoq; in arcē euasisti, ut nemo sanè (mea sentētia) eū cumulatius laudare potue rit. Mox inde secedēs diu hæc oīa mecum animo uolutabā, unde tāta cōflueret laudationis abūdantia, unde tāta non uulgaris obseruatio emanaret, unde deniq; amicitia adeo perfecta exoriretur, proculdubio non aliūde mecum tandem collegi, quām ex præclaræ eius uirtutis nomine proficiisci, cuius quidē uis magna & præpotēs est. Quamobrem nō possum profecto non suspicere ingenium tuum amabile, tuumq; animū uirtutibus fultū diligētius nō admirari, qui neq; ambitione, neque inuidia, neq; aliquo alio liuore de= uincitur. Siquidē omnes, quas meretur Abstemius noster laudes nō transis silētio, imò ad eas ipsas cumulandas ob eius incredibilem eloquentiam, singularemq; doctrinam ultro accedis, idq; haud ab re, cū pater omnium elegan= tiarum

tiarum atque idem leporum omnium merito sit, et habeatur. Et ut haec clariora luce non officij gratia, aut temere dicantur quotidie, quemadmodum aliqua eius laborum monumenta existere uidemus, quæ undique perfecta uerborum concinnitate, perspicacissimisq; sententijs scatent, nam modo dicam de hoc apologetorum libello nuper impresso, in quo perspicua, ac insignis eius ingenij amoenitas, non absque laude maxima redundare uidetur. Quare non uereor, ut is remisso cuiuscunque animo pessum eat, Abstremioq; (absit inuidia uerbo) omnium quam iucundissimo detrahatur. Cui et te, et me ob tanti nominis celebritatem, nulla unquam in re defuturos esse liquido constabit.

Vale.

L A V R. A B S T E M I V S O C T A  
uiano Vbaldino Comiti Mercatelli.

S. P. D.



D I T V R V S hunc apologetorum libellum, quem de numero fabularū Hecatomythium nuncupauī, multum diuq; dubitaui Octauiane princeps inclyte, tuo'ne cum nomini potissimū dedicarē.

Nam cum tuam in me non sine plurimis beneficijs perspiccerem benevolentiam, non aliquid mearum uigiliarū tibi deuouere, ingratissimu hominis esse uidebatur. Rursus cū tuorum in me officiorum numerū, diuinisq; uirtutes tuas mecum ipse reuoluerem, indignū tantis meritis, tantaq; sapientia munusculum hoc esse cernebam. Hanc tandem dubitationem meā amouit humanitas et prudentia tua, qua non tam

non tam res tibi dono datas, quam offerentium uoluntatē  
 soles inspicere. Addidit quoq; mihi animū Guidus Vbal-  
 dus clarissimus dux, & princeps meus omni laude maior  
 qui opusculū meū de nonnullis locis obscuris superiori an  
 no ei dedicatū uultu ita placido, & serena frōte suscepit,  
 ut sperare merito possem hoc tibi qualemq; fore non in-  
 gratū. Nō mediocriter etiā me incitarūt Georgius Emus  
 pro Venetis hic agēs legatus, nō solū patricia nobilitate,  
 uerumetiā bonarū artium studijs clarus, & Carolus Ve-  
 rardus Cæsenas Archidiaconus Cæsenæ, & Alexādri Pō  
 tificis Maximi cubicularius, uir omni literarū genere præ-  
 stans, necnon Renatus Melioratus, & Robertus Vrsus  
 Ariminēses iuris consulti clarissimi, nec minus, qui humani-  
 tatis uacāt studijs, eruditus. Hi enim alijq; cōplures optimi  
 harū rerum censores, cū hunc libellū legissent, multis me-  
 uerbis sunt ad æditionem cohortati. Nō putauit igitur tam  
 humano principi hoc munus ingratum futurū, quod tot  
 eruditis antè uiris placuisse cognouerā. Accipe igitur hoc  
 quicquid est libelli, ab Abstemio tuo, cuius mentem ani-  
 mūq; si penitus posses inspicere, in hac tenuire, magnum  
 munus tibi iudicares oblatum. Ne quis autē inutilem, &  
 inanem hunc meū scribendi labore existimaret, præfatiun-  
 culam quandā præponendā censi, qua intelligeretur, do-  
 cēs etiam & claros uiros in magnis rebus huiusmodi fa-  
 bellis, non uoluptatis tantum, uerum etiam utilitatis gra-  
 tia delectatos. Sedulo dedimus operam, ut seria potius  
 quam iocos saperent, unde ridiculas multas, quæ inter cō-  
 ponendum sese mihi offerebant, consulto præterij, quia ni-  
 mis lasciare, & tanti principis grauamine mihi uideban-  
 tur indignæ

tur indignæ. Non tamen ita agrestis esse uolui, quin eas aliqua urbanitate aspergerem, maxime ad principem scribens, cum principes curarum mole pressi, soleant interdū recreandi animi gratia, iocos appetere. Vale.

E I V S D E M A B S T E M I I  
Proœmium.

Cogitanti mihi uaria scriptorum genera, qui ut humanae uitæ prodeßent, cogitationes suas literarum mandauere memoriae, qui Apologos scripsere, non postremo loco digni esse uidentur. Non enim modo mortaliū animos incredibili quadam afficiunt uoluptate, uerum etiam ad res honestas, utilesq; peragendas suis fabellis, magis quam philosophi suis præceptis, alliciunt. Nam ita in legentium animos quadam iucunditate penetrat, et quibusdam similitudinibus, quæ maxime ad commouēdos animos ualent, quid uitandum, faciendumq; sit ostendit, ut omnes etiam inuiti, illis assentire cogātur. Sensus enim audiendi fastidiosissimus, res etiam utiles honestasq; haud facile admittit, ni fuerint aliqua urbanitate conditæ. Testis quidam orator Atheniensis, qui ad Athenienses uerba faciens, cum eos minus attentos uideret, rogauit ut saltem fabulam audire dignarentur. Quo impetrato, Ceres, inquit, et Hirudo, et Anguilla simul iter faciētes, ad quēdam fluuium peruererūt. Hirundo quidem superuolauit: anguilla autem amnem tranauit. Quod quum dixisset, obticuit. Interrogantibus autem illis quid Ceres egisset, vobis, inquit, dea uestra succensuit, qui eos qui uobis utilia suadent, audire nolentes, tam attentis auribus confabulan tes

tes auditis. Quantam uim Apologi habeat ad animos cōmouendos, quum multis possem, tribus ero contentus exemplis ostendere. Samijs rectorē populi morti addicere uolentibus, Aesopushac fabella dissuasit, dicens, Vulpem quandam fluuium transeuntem, in lacunam fuisse propulsam. Vnde quum exire non posset, tenaci limo retenta, muscarum affligebatur aculeis. Quod Herinaceus conspiciatus, misericordia motus est, interrogauit' que an uellet ut ab ea muscas abigeret. At illa abnuit, dicens, Hæ meo sanguine iam plenæ, paruam mihi possunt inferre molestiam: si autem has abegeris, aliæ famelicæ superuenient, quæ quicquid mihi supereft sanguinis exhaustient. Ita ò uiri Samij uobis eueniet. Si enim hunc rectorem uestrum iam locupletem occideritis, alios eligatis necesse est: qui dum se opibus uolent implere, quicquid hic uobis relinquit, eripient. His uerbis moti Samij, ab incœpto destiterere. Hac ratione adductus Tiberius Cæsar, diuturnos magistratus dabat. Vnde, ut refert Iosephus, sub eo, per uiginti annorū spatia, per duos tantum præfides, Gratū scilicet & Pilatum, est gubernati Iudæa. Non parcit populis regnum breue, ut inquit Statius. Himerenses Phalaridem Agrigentinorū tyrannum ducem exercitus sui eligerent uolentes, Stesichorus poëta hoc apolo deterruit: Equus, dicens, solus pascebat in prato. Adueniēte autem uo & pascua corrumpente, consuluit hominem qua posset illum arte punire. Cui homo, Si frenum inquit acceperis, & me armatum dorsum tuum ascendere permiseris. Quum huic consilio esset obsequutus, ceruum quidē hominis auxilio uictor abegit, sed nō amplius hominem dorso, non

so, non frenum depulit ore. Ita, inquit Stesichorus, uiri  
 Himcenses uobis eueniet, si Phalaridem ducem efficietis.  
 Hostes quidem uestros punietis, sed huic tyranno perpe-  
 tuo seruietis. Quibus uerbis territi Himereses, huiusmodi  
 ducis eligendi consilium deposuere. Quum populus Ro-  
 manus ab senatu secessisset, quod tributum et militiam  
 toleraret, nec ullo pacto reduci posset, non ne Agrippa  
 Menenius eum hoc apolo go reuocauit: Olim, inquiens,  
 Quirites, humani artus uentrem ociosum et desidem in-  
 tuentes, ab eo discordarunt, nec amplius illi cibum mini-  
 strare decreuerunt. Sed quum ipsi quoq; alimeta illi dene-  
 gando, quae per omnia membra deferuntur, deficerent, cu  
 eo in gratiam redierunt. Eodem, inquit, modo, Senatus et  
 populus, quasi uenter et membra alterum alterius auxi-  
 lio indigent: et ut discordia intereunt, ita concordia ua-  
 lent. Quia fabula populus reuocatus, cum senatu in gratia  
 redijt. Non immerito igitur non solum Græci et Latini  
 poetæ, ut Hesiodus et Horatius, huiusmodi fabulas suis  
 operibus inseruerunt, uerum etiā maximi et celeberrimi  
 philosophi, ut Plato, Aristoteles, Plutarchus, et multi  
 alij eas plurimū cōmendauerunt, et ad institutionem mo-  
 ralis et ciuilis uitæ, non minimum facere arbitrati sunt.  
 Quocirca Omniponus Leonicenus, et Laurētius Valla,  
 uiri ætatis nostræ doctissimi, paucos Aesopi apologos è  
 Græco in latinum uertere, sibi laudi, cæteris uero uolupta-  
 ti et utilitati fore non dubitarunt. Et iure quidē. Legun-  
 tur enim, et in doctissimorum uirorum manibus quotidie  
 uersantur. Non uideo igitur, quur has componendo fabu-  
 las laude fraudari debeam, quam cæteri Latini ex trans-  
 latione

Iatione consequuti sunt: nisi adeò inuidi sumus, ut Latinis licere non putemus, quod Græcis est cum summa omnium laude concessum.

## DE MURE IN CISTA NATO.

## Fabula prima.

**M**VS in cista natus, omnem ferè ibi duxerat ætatem, nucibus pastus, quæ in ea seruari solebant. Dum autem circa oras cistæ ludens decidisset, quereretq; ascensum, reperit epulas lautissime paratas: quas quum gustare cœpisset, Quàm stultus, inquit, hactenus fui, qui toto in terrarum orbe nihil melius cistula mea esse credebam. Ecce quàm suauioribus uescor hic cibis.

Hæc fabula indicat, non patriam diligendam, si ignobilis sit, ut alia non adeamus loca: quum alibi beatiores esse possumus.

## DE RVSTICO IMPETRANTE UT

## triticum absque aristis nasceretur.

## Fabula Secunda.

**I**mpetrauerat à Cerere rusticus quidam, ut triticum absque aristis nasceretur, ne metentium triturantiūq; manus læderet: quod ubi inaruit, à minutis auibus depastum est. Tum rusticus, Quàm digna, inquit, patior, qui paruæ cōmoditatis causa emolumenta quàm maxima perdidit. Fabula indicat, parua incomoda maiori utilitate pensanda.

## DE ACCIPITRE COLVMBAM

## insequente.

**Q**UAM accipiter columbam præcipiti insequeretur. uolatu, uillam quandam ingressus, à rustico captus est: quem

*est: quem blande ut se dimitteret obsecrabat, Non enim te  
læsi, dicens. Cui rusticus, Nec hæc, respondit, te læserat.*

*Fabula indicat merito puniri, qui innocentes lædere  
conantur.*

## DE ARANEA ET HIRUNDINE.

4

**A**ranea in hirundinem excandescens, quæ muscas,  
qui suus est cibus capiebat, retia in foribus, per quas  
uolitare solebat, ut eam caperet, suspenderat, Hirundo  
do uero aduolans, retia cum textrice per aëra portabat.  
Tunc aranea in aëre pendens, & sese iamiam perituram  
intelligens, Quām iuste hæc patior, dicebat, quæ minima  
uolatilia magno labore uix capiens, credidi tam magnas  
aues posse comprehendere.

*Hac admonemur fabula, ne uiribus maiora aggrediamur.*

## DE RVSTICO AMNEM

transituro.

5

**R**usticus torrentem transiturus, qui forte imbribus  
excreuerat, quærebatur uadum. Et quum primum eā  
fluminis partem tentasset, quæ quietior placidiorq; uide-  
batur, reperit eam altiorem quām animo erat opinatus.  
Rursus ibi breuiorem tutioremq; adinuenit, ubi maiori  
aquarum strepitu fluuius decurrebat. Tunc secum, Quām  
tutius, inquit, clamoris aquis, quām quietis & silentibus  
uitam nostram credere possumus.

*Hac admonemur fabula, ut minus uerbosos & mindes,  
quām quietos extimescamus.*

## DE COLUMBA ET PICA.

6

Columba

**C**olumba interrogata à pica, quid eam induceret, ut  
in eodem semper loco nidificaret, quum eius pulli  
inde sibi semper surriperentur. Simplicitas, respondit.

Hæc indicat fabula, facile esse viros probos saepe decipi.

## DE CVCVLO ET ACCIPITRE. 7

**I**risus ab accipitre cuculus, quod quum sibi et cor=  
pore par, et colore non absimilis esset, praet angustia  
animi potius uermibus terrenis, quam suauibus aliarum  
auium carnibus uesceretur: uidit paucis post diebus acci= =  
pitrem à rustico, cuius columbas insectabatur, captum, ad  
metum cæterorum ex alta turre pendere. Cui cuculus,  
quam melius tibi, inquit, amice fuisset uermes uenari,  
quam alienas aues impetere.

Hæc fabula indicat, eorum uitam tutiorem esse et ma= =  
gis probandam, qui suis rebus sine periculo cotenti sunt,  
quam illorum, qui aliena appetentes, adeunt magna uitæ  
discrimina.

## DE ASINO ET VITVLO. 8

**A**sinus et uitulus in eodem pascentes prato, sonitu  
campanæ hostilem exercitum aduentare praesense= =  
rant. Tum uitulus, fugiamus hinc o sodalis, inquit, ne  
hostes nos captiuos abducant. Cui asinus, fuge tu, inquit,  
quem hostes occidere et esse consueuerunt. Asini nihil  
interest, cui ubique eadem ferendi oneris est proposita  
conditio.

Hæc fabula feruos admonet, ne dominos magnopere mu= =  
tare formident, modo prioribus deteriores futuri no sint.

DE VVLPE ET MVLIERIBVS  
gallinam edentibus. 9

**V**ulpes iuxta uillam quandam transiens, confexit cateruam mulierum, plurimas gallinas opipare assatas alto silentio comedentem: ad quas conuersa, Qui clamores, inquit, & canum latratus contra me essent, si ego facerem quod uos facitis? Cui respondens quædam anus, Pessima animalium, inquit, nos quæ nostra sunt comedimus, tu uero aliena furaris.

Hæc fabula nos admonet, ne putemus nobis in aliena licere, quod proprijs dominis licet.

## DE CAPONIBVS PINGVIBVS

&amp; macro.

10

**V**ir quidam complureis capones in eodem ornithobosco inclusos, largo nutricauerat cibo: qui pingues effecti sunt omnes, præter unum, quem ut macilenter irridebant fratres. Dominus nobiles hospites lauto & sumptuoso accepturus conuiuio, imperat coco, ut ex his interimat coquatq; quos pinguiores inuenerit. Hoc audientes corpulenti, sese afflictabant, dicentes, Quanto prestitisset nos macilentos esse.

Hæc fabula in pauperum solamen conficta est, quorum uita tutior, quam diuitum.

## DE TRABE ET BOBV S EAM

trahentibus.

11

**T**rabs ulmea de bobus conquerebatur, dicens, Ingrati, ego multo tempore meis uos frondibus alui, uos uero me nutricem uestram per saxa & luta trahitis. Cui boues, Gemitus suspiriaq; nostra, & stimulus quo pungi mur, te docere possunt, quod te trahamus inuiti. Ignouit trabs. Hæc nos docet fabula, ne in eos excandescamus, qui non

qui non sua sponte nos lædunt.

DE ARBORIBVS PVLCHRIS ET  
deformibus. 12

**A**rbores complures in eodem creuerant loco proæcere, rectæ, enodes' que, preter unam humilem, paræiam, nodosam' que, quam, ut deformem, pusillam' que, cæteræ ludibrio habere solitæ erant. Aedificaturus domum loci dominus, iubet omnes excidi, præteream, quæ breuitate & deformitate sua ædificium indecorum redditura videbatur. Cæteris excisis, deformis hæc secum dicebat, De te non amplius querar natura, quod me turpem genueris, quum formosis tam magna uideam imminere discrimina.

Hæc fabula nos admonet, ne doleamus nos natos esse deformes, quum multis formositas sæpe nocuerit.

DE CYGNO IN MORTE CANENTE

comprehenso à ciconia. 13

**C**Ygnus moriens, interrogabatur à ciconia, quur in morte, quam cætera animalia adeò exhorrent, multo suauiores, quam in omni uita emitteret sonos, quum potius mœstus esse deberet. Cui cygnus, Quia inquit, neque cibi querendi cura amplius cruciabor, neque aucupum laqueos extimescam.

Hæc fabula nos admonet, ne mortem formidemus, quod omnes uitæ præsentis miseriæ præciduntur.

DE MVLIERE VIRVM MORIENTEM

flente, & patre eam consolante. 14

**M**VLierem adhuc iuuenem, cuius uir animam agebat, parentis, consolabatur, dicens, Ne te afflites,

ne tantopere filia. Alium enim uirum tibi inueni isto longe formosiorum, qui prioris desiderium facile mitigabit. At mulier doloris impatiens, ut quæ maritum ardenti amore prosequebatur, non modo uerba parentis non admittebat, sed intempestiuam alterius mariti mentionem accusabat. At ubi maritum defunctum uidet, inter lachrymas & luctus parentem interrogat, an adsit iuuenis ille, quem sibi in uirum dare uelle se dixerat.

Fabula indicat, quām cito defunctorum maritorum amor, & uxorum animo excidere soleat.

D E M V L I E R E A M A T O R I S D I S C E S=  
sum flente.

15

**M**ulier impudica amatorem suum abeuntem, quem omnibus ferè rebus spoliauerat, multis lachrymis prosequebatur. Interrogante autem eam uicina, cur ita inconsolabiliter fleret, Non discessum eius, sed pallium quod ei reliqui, fleo. Hæc fabula indicat, non amatores, sed eorum bona à meretricibus amari.

D E M V S C A Q V A E Q V A D R I G I S I N S I=  
dens, puluerem se excitasse dicebat.

16

**Q**uadrigæ in stadio currebant, quibus musca insidet. Maximo autem puluere tum equorum pedum pulsu, tum rotarum uolutatione exorto, dicebat musca, Quām magnam uim pulueris excitaui.

Hæc fabella ad eos spectat, qui cum ignavi sint, alienam tamen gloriam, suis magnificis uerbis in se transferre conantur.

D E A N G V I L L A C O N Q V E R E N T E  
quod magis quām serpens infestaretur.

17

Anguilla

**A**Ngilla interrogabat serpētem, quare cum similes essent atq; cognati, homines tamē se potius, quam illum insequerentur. Cui serpens, Quia rarus, inquit, me lēdit impune.

Fabula indicat, minus lēdi solere, qui sese ulsciscuntur  
DE ASINO, SIMIA, ET TALPA. 18

**C**Onquerenti asino, quòd cornibus careret, Simiae ue crò quòd cauda deesset, Tacete, inquit talpa, cum me oculis captam esse uideatis.

Hæc fabula ad eos pertinet, qui non sunt sua sorte contenti, qui si aliorum infortunia considerarent, æquiori animo tolerarent sua.

DE NAVTIS SANCTORVM AVXI=  
lium implorantibus. 19

**N**auta quidam in mari subita & atra tempestate de prehensus, cæteris eius socijs diuersorum auxilium implorantibus, Nescitis, inquit, quid petatis. Ante enim quam sancti isti ad deum, pro nostra liberatione se conseruant, hac imminente procella obruemur. Ad deum igitur configiendum censeo, qui absque alterius adminiculo, à tantis malis nos poterit liberare. Inuocato igitur dei omnipotentis auxilio ilico procella cessauit.

Fabula indicat, ubi potentioris auxilium haberi possit, ad imbecilliores non fugiendum.

DE PISCIBVS E·SARTAGINE, IN  
prunas desilientibus. 20

**P**isces adhuc uiui in sartagine feruenti oleo coquuntur, quorum unus, Fugiamus hinc fratres, inquit,

tie perecamus. Tunc omnes pariter è sartagine exilentes, in ardenteis prunas deciderunt. Maiori igitur dolore affecti, damnabant consilium, quod ceperat, dicētes Quanto atrociori nunc morte perimus?

Hæc nos admonet fabula, ut ita præsentia uitemus pericula, ne incidamus in grauiora.

DE QVADRUPEDIBVS SOCIETATEM

aduersus aues cum piscipus ineuntibus. 21

**Q**Uadrupedes cum bellum sibi ab auibus esset indicatum, cum piscibus fœdus inierunt, ut eorum auxilio, se ab auium furore tuerentur. Cum autem optata expectarent auxilia, Pisces negant per terram ad eos accedere posse.

Hæc nos admonet fabula, ne eos nobis socios faciamus, qui cum opus sit, nobis adesse non possint.

DE LEGATO AVARO TUBICIS

nes decipiente. 22

**Q**uidam avarus pro patria legatus, in aliam urbem prefectus erat, cui tubicines præsto affuerunt, ut illius aures tubarum clangore, loculos autem suos pecunia implerent. Quibus ille renunciari iubet, non esse nunc locum cantibus, se in summo luctu & mœrore cōstitutum, matrem enim suam obiisse. Tubicines autem spē frustrati, & mœsti abeūt. Amicus quidā legati audiens luctum, ad eum uisendū, consolandumq; accedit, interrogatq;, quan diu mater eius obiisset. Quadragesita iā anni sunt, inquit. Tūc amicus intellecta legati stropha, in risum effusus est.

Hæc fabula ad auaros facit, qui omni arte student conservare pecuniam.

## DE VIRO QVI AD CARDINALEM

nuper creatum gratulandi gratia  
accessit.

23

**V**ir quidam facetus admodum & urbanus, audiens amicum suum ad Cardinalium, quos uocant, dignitatem assumptum, ad eum gratulandi gratia accessit, qui honore tumidus, amicum, ueterem, agnoscere dissimilans, quisnam esset interrogabat. Cui ille, ut erat ad iocos promptus, Miseresco, inquit tibi, ceterisq; qui ad huiusmodi honores perueniunt. Quam primum enim dignitates eiusmodi estis assecuti, uisum auditum' que, & ceteros sensus ita amittitis, ut pristinos amicos, amplius non cognoscatis.

Hæc fabula eos notat, qui in altum sublati, ueteres despiciunt amicitias.

## DE IVVENE SENIS CVRVITAE 24

tem ridente.

**I**Uenis quidam conspicatus senem in arcus tensi similitudinem curuum, interrogauit an sibi arcum uellet uendere. Cui ille, Et quid, inquit, est tibi opus pecuniam amittere? Si enim ad meam peruerteris ætatem, absque pecunia arcum tibi natura concederet.

Hæc fabula indicat minime irridenda uitia senilis ætatis, quam nemo uiuendo effugere potest.

## DE SENE PUELLEM IN UXORE

rem accipiente.

25

**V**ir quidam imprudens exacto septuagesimo uite anno puellam duxerat in uxorem, qui ad id tempus in coelibatu permanisset. Cui cum debitum soluere non pos-

set,

set, dicere solebat, Quām male uitam meam disposui. Iuueni enim mihi uxor decret, nūc autem senex desum uxori. Hæc fabula innuit, omnia suo tempore peragenda.

## D E A Q V I L A E T P I C A .

26

**P**ica aquilam rogabat, ut se inter suos familiares & domesticos acciperet, quando id mereretur cum corporis pulchritudine, tum ad mandata peragenda linguae uolubilitate. Cui aquila, Hoc facerem, respondit, ni uerer, ne quæ intra tegulam fiunt, tua loquacitate cuncta efferas. Hæc fabula monet, linguaces & garrulos domi non habendos.

## D E T V R D O A M I C I T I A M C V M

hirundine ineunte.

27

**G**loriabatur turdus se amicitiam contraxisse cum hirundine. Cui mater, Stultus es filij inquit, si credis cum ea posse conuiuere, cum uterque uestrum diuersa soleat appetere loca. Tu enim frigidis, illa tepidis delectatur locis. Hac monemur fabula, ne eos nobis faciamus amicos, quorum uita à nostra dissentit.

## D E R V S T I C O E T M V R E .

28

**R**usticus quidam erat admodum pauper, sed adeò factus, ut ne calamitatis quidem tēpore, natiui leporis obliuisceretur. Is cum uillam suā, casu igne injecto, ita ardenter uideret, ut aliquo modo ignem extinguere posse diffideret, mœstus spectabat incendium. Interim cernit murem quendam, qui uilla egressus, periculum quām occissime fugiebat. Oblitus damnorum rusticus cucurrit, & murem corripiens, illum in medium iecit incendium, dicens, In gratū animal tempore felicitatis mecum habita= sti, nunc

**F**ili, nunc quia fortuna mutata est, uillam meam deseruisti.

Fabula indicat, eos non esse ueros amicos, qui arri-  
dente fortuna à latere tuo non discedunt, turbata autem,  
præcipiti abeunt cursu.

DE DIVITE QVODAM ET SERVO. 30

**V**ir erat diues, seruum habens tardi ingenij, quem re-  
gem stultorum solebat nuncupare. Ille his uerbis sæ-  
pius irritatus, statuit hero par referre. Semel enim in he-  
rum conuersus, utinam, inquit, rex stultorum essem, in  
toto enim terrarum orbe, nullum meo latius esset impe-  
rium, & tu quoque meo subesses imperio.

Fabula indicat, omnia plena esse stultorum.

DE CANIBVS VRBANIS VILLA= 31  
ticum in sequentibus. 32

**C**anes complures urbani, quandam uillaticum præci-  
piti insequebantur cursu, quamdiu ille fugit, nec re-  
pugnare ausus est. At ubi in sequentes cōuersus subsistit,  
& dentes ipse quoque ostendere cœpit, omnes pariter sub-  
stiterunt, nec aliquis urbanorum illi propinquare aude-  
bat. Tunc imperator exercitus, qui ibi aderat, ad suos cō-  
uersus milites, comilitones, inquit, hoc spectaculum nos  
admonet, ne fugiamus, cum præsentiora fugientibus, quam  
repugnantibus uideamus immundere pericula.

DE ANVDAEMONEM ACCVSANTE. 33

**V**olunt homines ut plurimum, quando sua culpa ali-  
quid sibi acciderit aduersi, in fortunam uel in dæ-  
monem culpam conferre, ut se crimine exuant, adeò om-  
nes sibi indulgent. Hoc dæmon ægre ferens, cum uideret

anum

anum quandam, arborem ascendentem, ex qua illam ruituram, & in se culpam collaturam praeuiderat, accitis testibus dixit, Videte anum illam absque meo consilio arborem ascendentem, unde eam casuram esse prospicio. Estote mihi testes, me ei non suafisse, ut soleata illuc ascenderet. Mox anus cecidit & cum interrogaretur cur soleata arborem ascendisset, Dæmō, inquit, me impulit. Tūc dæmon adductis testibus, probauit id ab anu absque suo factum esse consilio.

Fabula indicat, homines minime uenia dignos, qui, cū libere peccent, fortunam uel dæmonem accusant.

## DE TESTUDINE ET RANIS. 34

**T**Estudo conspicata ranas, quæ eodem stagno pascebantur, adeo leues, agilesq; ut facile quolibet prostirent, & longissime saltarent, naturā accusabat, quod se tardum animal, & maximo impeditum onere, procreasset, ut necq; facile se mouere posset, & magna assidue mole premeretur. At ubi uidit ranas anguillarum escā fieri, & cuiuscunq; uelleuissimo ictui obnoxias, aliquantulū recreata dicebat: Quanto melius est onus, quo, ad omnes ictus munita sum, ferre, quam tot mortis subire discrimina.

Hæc fabula indicat, ne ægre feramus dona naturæ, quæ maiori nobis commodo sæpe sunt, quam nos intelligere ualeamus.

## DE GLIRIBVS QVERCVM ERVĒ= re uolentibus. 35

**G**lires quercum arborem glandiferam dentibus eruerere destinauerant, quò paratiorem haberent cibum, ne uictus gratia toties ascendere & descendere cogerentur.

tur. Sed quidam ex eis, qui ætate & usu rerum ac prudenter cæteros longe anteibat, eos absterruit, dicens, Si nutrīcēm nostrā nunc interficiemus, quis futuris annis, nobis ac posteris nostris alimenta præbebit?

Fabula hæc monet, uirum prudentem debere nō modo præsentia intueri, uerum etiam futura longe prospicere.

## DE CANE ET HERO.

36

**C**anem quidam habens, quo magis ab illo diligenteretur, semper eum suis pascebat manibus, ligatumq; soluebat. Ligari autem & uerberari iubebat à seruo, ut beneficia à se, maleficia autem à seruo in illum uiderentur esse collata. Aegre autem ferens canis se assidue ligari uerberariq;, aufugit. Et cum increparetur à domino ut ingratus, & tantorum benefiorum inimemor, qui se fugisset, à quo semper dilectus, pastusq; fuisset, ligatus autem, uerberatusq; nunquam, respondit, Quod seruus tuo iussus facit, à te factum puto.

Hæc fabula indicat, eos malefactores habendos, qui maleficiarum causa fuere.

## DE AVIBVS SCARABEOS

timentibus.

37

**M**agnus timor aues incesserat, ne Scarabei arcu pilari eas occiderent, à quibus magnam pilarum vim in sterquilino summo labore fabricatam audierunt. Tunc passer, Nolite, inquit, pauescere. Quomodo enim pilas in nos per aëra uolantes iacere poterunt, cum eas per terram magno molimine uix trahant?

Hæc fabula admonet, ne hostium opes extimescamus quibus deesse uidemus ingenium.

De Vrso

**V**Rsus ictus ab ape, tanta ira percitus est, ut aluearia in quibus apes mellificauerant, tota unguibus discerperet. Tunc apes uniuersæ, cum domos suas dirui, cibaria auferri, filios necari uiderent, facto impetu aculeis ursum inuadentes, penè necauere: Qui ex earum manibus uix elapsus, secum dicebat, Quanto melius erat, apis unius aculeum tolerare, quam tot in me hostes mea iracundia concitare.

Hæc fabula innuit lōge melius interdum esse iniuriam unius sustinere, quam dum unum punire uolumus, multos nobis inimicos comparare.

**A**uceps tetenderat uolucribus retia, largamq; illis in area effuderat escam, pascentes tamen aues non capiebat, quia sibi uidebantur paucæ. Quibus pastis ac auolantibus, aliæ pastum adueniunt, quas quoq; propter paucitatem capere neglexit, hoc per totum diem ordine seruato, ac alijs aduenientibus, alijs abeuntibus, illo semper maiorem prædam expectante, tandem aduerserascere coepit. Tunc auceps admissa spe multas capiendi, cum iam tempus esset quiescendi, attrahens retia, unam tantum fringillam, quæ infelix in area remanserat, cepit.

Hæc fabula indicat, qui omnia comprehendere uolunt, sæpe pauca uix capere posse.

**M**iles equum habens optimum, emit alium nequam quam illi bonitate parem, quem multo diligentius, quam priorem nutricabat, tunc priori sic ait, cur me dominus

minus quam te impensis curat, cum tibi neque pulchritudine, neque robore, neque uelocitate comperandus simus? Cui ille, Est haec, inquit, hominum natura, ut semper in nouos hospites benigniores sint.

Hæc fabula indicat, hominum amentiam, qui nouae etiam si deteriora sint, solent ueteribus anteponere.

## DE SVE ET CANE.

41

**S**Vs irridebat canem odoris equum, qui domino murmurare, & cauda adularetur, à quo ad artem aucupatoria multis uerberibus, aurumq; uellicationibus fuerat instructus. Cui canis, Nescis inquit, insane, nescis quæ ex uerberibus illis sim consecutus. Per ea enim suauissimis perdicum, coturnicumq; carnibus uescor.

Hæc fabula nos monet, ne iniquo feramus animo præceptorum uerbera, quæ multorum bonorum causa esse confueuere.

## DE TRABE BOVM PIGRITIAM

increpante.

42

**T**Rabs, quæ curru uehebatur, boues ut lentulos increpabat, dicens, Currite pigri, onus enim leue portatis. Cui boues, Irrides nos, responderunt, ignoras quæ te poena maneat. Onus hoc nos cito depoñemus: tuum autē tu quo ad rumparis, sustinere cogeris. Indoluit trabs, nec amplius boues conuitijs laceſſere ausa est.

Hæc fabula quemlibet monet, ne alium insultet calamitatibus, quum ipſe poffit maioribus subiacere.

**C**ARDVELLE ET PUERO. 43  
Arduelis auis interrogata a puero, quo in delitijs habita, & suauibus et largis cibis nutrita fuerat, quir caueat egressa

*egressa regredi nollet, Ut meo, inquit, me arbitratu, non tuo, pascere possim.*

*Hæc fabula indicat, uitæ libertatem, cunctis delitijs anteponendam.*

DE SCVRRA ET EPISCOPO. 44

*NB* **S**curra quidam Calēdis Ianuarij ad Episcopum quēdam diuitem quidem, sed auarum accedens, numisma aureum strenæ nomine petijt. Antistes insanire hominem dicit, qui crederet tantam pecuniam sibi in strenam dari. Tunc scurra nummum argenteum efflagitare cœpit. Sed quum ille hoc quoque nimium sibi uideri diceret, æreum quadrancem ut saltem sibi traderet, orabat. Sed quum ne hunc quoque posset ab episcopo extorquere, Reuerende, inquit, pater, saltem benedictione tua me pro strena imperti. Tūc episcopus, Flecte, inquit, genua fili, ut te bene dicam. At ego, inquit scurra, benedictionem istam tuam tam uilem nolo. Si enim nummum æreum ualeret, eam mihi nunquam profecto concederes.

*Hæc fabula contra eos episcopos et sacerdotes confita est, qui diuitias et opes pluris faciunt, quam cuncta ecclesiæ sacra atque mysteria.*

DE VPVPA INDIGNE HONORATA. 45

**I**nuitatæ ferè omnes aues ad aquilæ nuptias, indignè strebant upupam cæteris præferri, quia corona insignis esset, et uersicoloribus pennis ornata, quum semper inter stercore et sordes solita esset uolutari.

*Hæc fabula stultitiam eorum arguit, qui in hominibus honorandis potius uestitum, nitorem, præstantiamq; formæ, quam uirtutes moresq; soleant attendere.*

De Sacer

## DE SACERDOTE ET PYRIS. 46

**S**acerdos quidam gulosus extra patriam ad nuptias proficisciens, ad quas fuerat invitatus, reperit in itinere pyrorum aceruum, quorum ne unum quidem attigit, quamuis magna affectus fame: quin potius ea ludibrio habens, lotio confpersit. Indignabatur animi huiusmodi cibos sibi in itinere offerri, qui ad lautas accedebat epulas. Sed quum in itinere torrentem quendam ita imbribus auctum offendisset, ut sine uitæ periculo eum transire non posset, domum redire constituit. Reuertens autem iejunus, tanta est oppressus fame, ut nisi pyra illa, quæ urina confpersebat comedisset, quum aliud non inueniret, extingueretur.

Hæc fabula monet, nihil esse contemnendum, quum nihil sit tam uile & abiectum, quod aliquando usui esse non possit.

## DE M V L O E T E Q V O . 47

**M**vlus conspiciens equum, aureo freno ephippioq; insignem, & purpureis opertum phaleris, rumpet batur inuidia, illum beatum reputans, qui continue optimis uesceretur cibis, & decoro amiciretur ornatus: se autem præ illo infelicem, qui clitellis male dolatis oppressus, quotidie maxima onera ferre cogeretur. At ubi uidit equum pugna redeuntem, multis affectum vulneribus, præ illius calamitate se felicem appellabat, longe melius esse dicens, quotidiano labore durum uictum queritare, & turpiter uestiri, quam post optimos & delicatos cibos, & tantos ornatus, mortis adire discrimina.

Hæc fabula monet, regibus & principibus minime inuidendum, quia diuinijs & opibus abundant, ut quum uitam eorum

tam eorum longe pluribus periculis, quam pauperum, uideamus esse subiectam.

## DE PORCO ET EQVO.

48

**P**orcus conspiciens equum bellatorem, qui cataphractus ad pugnam prodibat, Stulte, inquit, quo proferas? In pugna enim fortasse morieris. Cui equus, At tibi inter lutum sordesque impinguato, quamuis nihil dignum laude gesseris, cultellus adimet uitam, mortem uero meam comitabitur gloria.

Hæc fabula innuit, honestius esse rebus preclare gestis occumbere, quam uitam turpiter actam protrahere.

## DE CORIARIO E MENT E PELLEM

ursi a uenatore, nondum capti.

49

**C**oriarius ad uenatorem accedens, emit ab eo pellem ursi, pecuniamque pro ea protulit. Ille sibi in presentia pellem ursi non esse, ceterum postridie uenatum profectum, ursoque interfecto, pellem illius ei se daturum pollicetur. Coriarius animi gratia cum uenatore in syluam profectus, altissimam arborem ascendit, ut inde ursi uenatorisque certamen prospiceret. Venator intrepidus ad artem, ubi ursus latebat, profectus, immisis canibus illum exire copulit: qui evitato uenatoris ictu, eum prostrauit humi. Tunc uenator sciens hanc feru in cadavera non sauire, anhelitu retento, se mortuum simulabat. Ursus naribus admotis olfaciens, quum illum nec naso nec corde spirantem deprehenderet, abscessit. Coriarius quum feram abesse prospiceret, ac nihil amplius adesse periculi, ex arbore se deducens, et ad uenatorem qui nondum surgere audebat accedens, illum ut surgeret monebat. Interrogauit

Kit

uit deinde, quid ad aurem ei tarsus locutus esset. Cui uenator, Monuit me, inquit, ne deinceps ursi pellem uendere uelim, nisi eum prius ceperim.

Hæc fabula indicat, incerta pro certis non habenda.

## DE HEREMITA ET MILITE. 30

**H**eremita quidam uir sanctissimæ uitæ militem hortabatur, ut relicta seculi militia, quam absq; dei offensa, & animæ discrimine pauci exercent, tandem se corporis traderet quieti, & animæ consuleret saluti. Cui miles, Faciam inquit, quod mones pater. Verum enim, quod hoc tempore milites, neque stipendia exigere ualeant, licet exigua sint, neque prædari possint.

Fabula significat, multos uitijs renunciare, quia illæ amplius exercere non possunt.

## DE VIRO ET UXORE

bigamis.

31

**V**ir quidam defuncta uxore, quam ualde dilexerat, duxit alteram, & ipsam uiduam, quæ assidue ei prioris mariti uirtutes, fortiaq; facinora obijciebat. Cui ut par referret, ipse quoque defunctæ uxoris mores probatissimos pudicitiamq; insignem referebat. Quadam autem die uiro irata, pauperi eleemosynam petenti, partem caponis, quem in coenam utrisque coxerat, dedit, dicens, Do tibi hoc pro anima prioris uiri. Quod audiens maritus, accessito paupere reliquum caponis dedit, dicens, Et ego quoque tibi hoc pro anima uxoris meæ defunctæ. Sic illi dum alter alteri nocere cupiunt, quid coenarent tandem non habuerunt.

p 2 Hæc fabula

Hæc fabula monet, non esse contra eos pugnandum,  
qui se possint optime vindicare.

## DE LEONE ET MURE.

52

**L**Eo laqueo captus in sylua, cum se ita irretitum uide-  
ret, ut nullis uiribus se inde posse explicare confide-  
ret, murem rogauit, ut abroso laqueo eum liberaret, pro-  
mittens tanti beneficij se nō immemorem futurum. Quod  
cum mus prompte fecisset, leonem rogauit, ut filiam eius  
sibi traderet in uxorem. Nec abnuit leo, ut benefactori  
suo rem gratam faceret. Noua autem nupta ad uirum ue-  
niens, cum eum non uideret, casu illum pede pressit, atq;  
contriuit.

Hæc indicat fabula, matrimonialia, & cætera consor-  
tia improbanda, quæ ab imparibus contrahuntur.

## DE VLMO ET SILERE.

53

**V**lmus in ripa fluminis nata, siler sibi proximum ir-  
ridebat, ut debile & inuaidum, quod ad omnem uel  
leuissimum undarum impetum flecteretur, suam autem fir-  
mitatem & robur, magnificis extollebat uerbis, quod  
multos annos assiduos amnis impetus, incencussa pertule-  
rat. Semel autem maxima undarum violentia, ulmus per-  
fracta trahebatur ab aquis. Cui siler ridens, inquit, Cur  
me deseris uicina, ubi est nunc fortitudo tua?

Fabula significat, sapientiores esse, qui potentiori-  
bus se cedunt, quam qui resistere uolentes, turpiter su-  
perantur.

## DE CERA DURICIEM APPETENTE. 54

**C**Era ingemiscebat se mollem, & cuicunque leuissimo  
ictui penetrabilem procreatam. Vidēs autem lateres  
ex luto

*ex luto multo se molliori factos, in tantam duritiam ignis calore peruenisse, ut multa perdurarent secula, se iecit in ignem, ut eandem duriciem consequeretur. Sed statim igne liquefacta, consumpta est.*

Hac admonemur fabula, ne appetamus, quod est nobis natura denegatum.

## DE AGRICOLA MILITIAM ET

mercaturam affectante.

55

**A**gricola quidam ægre ferebat se assidue terram uolueret, nec perpetuis laboribus ad magnas diuitias peruenire, cum nonnullos uideret milites, qui actis prælijs ita rem auxerant, ut bene induiti incederent, & lautis epulis nutriti, beatam agerent uitam. Venditis igitur ouibus, capris, ac boibus, equos emit & arma, & in militiam profectus est, ubi cum ab imperatore suo male pugnatū esset, non solum quæ habebat perdidit, sed etiam pluribus uulnibus affectus est. Quare damnata militia, mercaturam exercere statuit, ut ubi maius lucrum, & minorem labore existimabat. Prædijs igitur uenditis, cum nauem mercibus impleuisset, nauigare cœperat, sed cum in alto esset, tempestate subito coorta, nauis submersa est, & ipse cum cæteris, qui in ea erant, ad unum omnes perierte.

Hæc fabula monet, quemlibet debere sua arte esse contentum, cum ubique sit parata miseria.

## DE ASINO ET SCVRRA.

56

**A**sinus indigne ferens scurram quendam honorari, & pulchris uestibus amiciri, quia magnos uentris edebat sonos, ad magistratus accessit, petens ne se minus quam scurram honorari uellent, & cum magistratus ad-

mirantes eum interrogarent, cur se ita honore dignum duceret, inquit, *Quia maiores quam scurra crepitus uen- tris emitto, eosque absque fætore.*

Hæc fabula eos arguit, qui in rebus leuisiuis, suas pecunias profundunt.

DE AMNE SVVM FONTEM CON-  
uitijs laceſſente.

57

**A**Mnis quidam suum conuitijs fontem laceſſebat ut inertem, quod immobilis staret, nec ullos haberet pisces, se autem plurimum commendabat, quod optimos crearet pisces, et per ualles blando murmure serperet. Indignatus fons, in amnem uelut ingratum, undas repreſſit. Tunc amnis et piscibus et dulci ſono priuatus, euauit.

Hæc fabula eos notat qui bona, quæ agunt, ſibi arrogant, non deo attribuunt, à quo largo fonte noſtra bona procedunt.

DE VIRO MALIGNO

et dæmone.

58

**V**IR malignus quum plurima perpetrasset ſcelera, et ſepius captus, et carcere conclusus, arctiſſima et peruigili custodia teneretur, dæmonis auxilium implorabat, qui ſepenumero illi affuit, et è multis eum periculis liberauit. Tandem iterum deprehenſo et ſolitum auxilium imploranti, dæmon magnum calceorum pertusoru fascem super humeros habens apparuit, dicens, Amice amplius tibi auxilio eſſe non poſsum, tot enim loca pro te liberando haec tenus peragraui, ut hos omnes calceos contruerim. Nulla mihi ſuperest pecunia, qua alios ualeam comparare. Quare pereundum eſt tibi.

Hæc admonet

Hæc admonet fabula, ne existimemus nostra semper  
impunita fore peccata.

## DE AVIBVS PLVRES REGBS

eligere uolentibus.

**A**ves consultabant de pluribus regibus eligendis, cū  
Aquila tantos uolucrum greges sola regere non pos-  
set, fecissentq; uoto satis, nisi cornicis monitu, à tali con-  
silio destitissent: quæ cum causam rogaretur, cur non plu-  
res reges duceret eligendos, Quia difficilius, inquit, plu-  
res quam unus saccus, implentur.

Hæc fabula docet, longe melius ab uno, quam à multis  
principibus gubernari.

## DE MVLIERE QVAE PRO VIRO SE

mori uelle dicebat.

60

**M**atrona quedam admodum pudica, & uiri aman-  
tissima, & greferebat maritum aduersa ualitudine  
detineri. Lamentabatur, ingemiscerat, & ut suum in uirū  
amorem testaretur, rogabat mortem, ut si maritum sibi  
esset eruptura, se potius quam illū uellet occidere. Inter  
hæc uerba mortē cernit horribili aspectu uenientem, cuius  
timore perterrita, et iam sui uoti pœnitens, Nō sum ego,  
inquit, quem petis, iacet ibi in lecto, quē occisura uenisti.

Hæc fabula indicat, neminem esse adeò amantem ami-  
ci, qui non malit sibi bene esse, quam alteri.

## DE ADOLESCENTE IN FVNERE

matris canente.

61

**V**ir quidam defunctā uxorē, quæ ad sepulchrū effere-  
batur, lachrymis & fletibus prosequebatur. Filius  
uerò eius canebat, qui cū à patre increparetur, ut amens

& insanus, qui in matris funere cantaret, cum una secum  
moestus esse, & flere deberet, inquit, Pater mi, si sacer=  
dotes ut canerent conduxisti, cur mihi irasceris gratis  
concinenti? Cui pater, Non tuum, inquit, & sacerdotum  
est idem officium.

Fabula indicat, non omnia omnibus esse decora.

DE VIRO ZELOTYPО Q VI UXOREM  
dederat custodiendam. 62

**V**ir zelotypus, uxorem, quam parum pudice uiuere  
compererat, cuidam amico, cui plurimum fidebat,  
dederat custodiendam, ingentem pollicitus pecuniam, si  
eam ita diligenter obseruaret, ut nullo modo coniugalem  
uiolaret copulam. At ille ubi aliquot dies expertus, custo=  
diam hanc nimis difficilem, & ingenium suum uersutia  
mulieris uinci comperisset, ad maritum accedens dixit, se  
amplius nolle hanc tam duram gerere prouinciam, quan=  
doquidem ne Argus quidem, qui totus oculatus fuit, mu=  
lierem inuitam posset custodire. Addidit praeterea, si ne=  
cesse sit, malle se anno integro saccum plenum pulicibus  
quotidie in pratum deferre, solutoq; sacco eos inter her=br/>bas pascere, uespereq; facto, omnes domū reducere, quam  
una die impudicam mulierem seruare.

Hæc fabula indicat, nullos custodes esse ita diligentes,  
qui impudicas mulieres ualeant custodire

DE VIRO CLYSTERIA  
recusante. 63

**V**ir quidam natione Germanus, diues admodū, aegro  
tabat, ad quem curandum plures accesserant medici  
(ad mel enim cateruatim conuolant muscæ) quorum unus  
inter

inter cætera dicebat opus esse clysteribus, si uellet conua-  
lescere. Quòd cum uir huiusmodi insuetus medicinæ audi-  
ret, furore percitus, medicos domo ejici iubet, dicens, eos  
esse insanos, qui cum caput sibi doloreret, podici uellēt me-  
deri. Hæc fabula innuit, etiā salutaria insuetis & inexper-  
tis, aspera & obfutura iuderi.

DE ASINO AEGROTANTE, ET  
lupis uisitantibus. 64

**A**Sinus aegrotabat, famaq; exierat, eum cito moritu-  
rum, ad eum igitur uisendum, cum lupi canesq; ue-  
nissent, peterentq; à filio, quomodo pater eius haberet,  
ille per ostij rimulam respondit, Melius quam uelletis.

Hæc indicat fabula, quòd multi fingunt moleste ferre  
mortem aliorum, quos tamen cupiunt celeriter interire.

QVOD NVCI, ASINO, ET MVLIE-  
ri prosunt uerbera. 65

**M**ulier quædā interrogabat nucē secus uiam natā,  
quæ à prætereūte populo saxis impetebatur quare  
esset ita amēs, ut quo pluribus maioribusq; uerberibus cæ-  
deretur, eo plures, præstantioresq; fructus procrearet.  
Cui iuglans, Es'ne inquit, prouerbij immemor ita dicētis,  
Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligati,  
Hæc tria nil recte faciunt, si uerbera cessent.

Hæc fabula innuit, sape homines proprijs iaculis, se  
solere confodere.

DE ASINO LABORVM FINEM  
non inueniente. 66

**A**Sinus hyberno tempore plurimum angebatur, quòd  
animio afficeretur frigore, & durum palearum ha-  
beret

p s beret

beret uictum. Quare uernam temperiem, & teneras herbas optabat. Sed cum uer aduenisset, cogeretur q; à domino, qui figulus erat, argillam in aream & in fornacē: indeq; lateres, imbrices, tegulas, ad diuersa loca deferre: per tæsus ueris, in quo tot labores tolerabat, æstatem omnibus uotis expebat, ut dominus messe impeditus, eū quiescere pateretur. Sed tūc quoque cum messis in aream, & inde domum triticum ferre compelleretur, nec quieti locus sibi esset, autumnum saltem laborum finem fore sperabat. Sed ubi ne tunc quoque malorum terminum adesse cernebat, cum quotidie uinum, poma, ligna portanda essent, rursus hyemis niues & glaciem efflagit: bat, ut nunc saltem aliqua sibi requies à tantis laboribus concederetur.

Hæc fabula indicat, nulla esse præsentis uitæ tempora, quæ non perpetuis sint subiecta laboribus.

DE MVRE QVÆ CVM FELE AMI  
citiam contrahere uolebat.

67

**M**ures cōplures in cauo parietis commorantes cōtemplabātur flem, quæ in tabulato capite demisso, & tristi uultu recumbebat. Tunc unus ex eis, Hoc animal, inquit, benignum admodū, & mite uide. Vultu enim ipso sanguinomiam quādam præfert. Volo ipsum alloqui, & cum eo indissolubilem nectere amicitiam. Quæcum dixisset & propius accessisset, à fele captus, & dilaceratus est. Tunc cæteri hæc uidentes, secum dicebant, Non est profecto, non est uultui temere credendum.

Hæc fabula innuit, non ex uultu, sed ex operibus homines iudicandos, cum sub ouili pelle, saepe atroces lupi delitescant.

De Asino

## DE ASINO QVI HERO INGRATO

seruierat.

68

**A**sinus, qui uiro cuidam ingrato multos annos inofensu-  
so pede seruierat, semel, ut fit, dum sarcina pres-  
sus, graui & salebrosa incedit uia, sub onere ceciderat.  
Tūc dominus implacabilis multis uerberibus surgere cō-  
pellebat, pigrum animal & ignavum nuncupans. At ille  
miser inter uerbera hæc secum dicebat, Infelix ego quām  
ingratum sortitus sum herum. Nam quamuis ei multo  
tempore sine offensa seruierim, tamen non hoc unum deli-  
ctum tot meis pristinis beneficijs compensat.

Hæc fabula in eos conficta est, qui beneficiorū sibi col-  
locatorum immemores, etiam minimam benefactoris sui in-  
se offensam, atroci poena prosequuntur.

## DE LVPO SVADENTE HISTRICI

ut tela deponeret.

69

**L**upus esuriens in histricem intēderat animum, quem  
tamen, quia sagittis undique munitus erat, inuadere  
non audebat. Excogitata autem eum perdendi astutia, illi  
suadere coepit, ne paucō tempore tantum telorum onus  
tergore portaret, quandoquidem ne alij quidem sagitta-  
rij, nisi cum prælij tempus instaret, portaret. Cui histrix:  
Aduersus lupum, inquit, semper præliandi tempus esse cre-  
dendum est.

Hæc fabula innuit, uirum sapientem oportere, aduersus  
inimicorum & hostium fraudes semper esse munitum.

## DE MVRE LIBERANTE MILVVM. 70

**M**vs conspicatus miluum, laqueo aucupis implici-  
tum, nūscertus est. Aui quāuis sibi inimicæ, abrosis  
dente

dente uinculis, euolādi uiam fecit. Miluus tanti immemor beneficij, ubi se solutum uidit, murem nil tale suspicantem corripiens, unguibus & rostro lacerauit.

Fabula indicat, malignos uiros huiusmodi gratias suis benefactoribus solere rependere.

DE COCHLEA PETENTE AB IOVE, VT  
suam domum secum ferre possit. 71

**C**Vm Iupiter ab exordio mundi singulis animalibus munera, quæ petiſſet, elargiretur, Cochlea ab eo petit, ut domum suam posset circumferre. Interrogata à Ioue, quare tale ab eo munus exposceret, quod illi graue et molestum futurū erat, Malo, inquit, tam graue onus perpetuo ferre, quam cum mihi libuerit, malum uicinum non posse uitare. Fabula indicat, malorum uicinitatem omni incommodo fugiendam.

DE ERINATIO VIPERAM HOSPI=  
tem eijciente. 72

**E**RINATIUS hyemem aduentare præsentiens, blande ui= peram rogauit, ut in propria illius cauerna, aduersus uim frigoris, locum sibi concederet. Quod cum illa fe- cisset, ERINACIUS huc illuc se prouoluens spinarum acumine uiperam pungebat, & uehementi dolore torquebat. Illa male secum actum uidens, quādo ERINATIUM suscepit hospitio, blandis eum uerbis, ut exiret orabat, quandoqui dem locus ambobus esset angustus. Cui ERINATIUS, Exeat, inquit, qui hic manere non potest. Quare uipera sentiens sibi locum ibi non esse, illuc cessit hospitio.

Fabula indicat, eos in consortio non admittendos, qui nos possunt eijcere.

De lepore

## DE LEPORE SESE VVLPI PRAEFB

rente ob pedum uelocitatem. 73

**L**epus sese dignum reputabat, qui uulpi præferretur, quoniam longe illam pedum perniciitate superabat. Tunc uulpes, At ego, inquit, ingenium sum sortita præstantius, quo sæpius, quām tu perniciitate tua, canes eludo.

Hæc indicat fabula, corporis uelocitatem & uires, ab ingenio longe superari. 74

## DE AGRICOLA ET POETA. 75

**A**gricola quidam ad poëtam accedēs, cuius agros colebat, cum eum inter libros solum offendisset, interrogauit eum, quo pacto ita solus uiuere posset. Cui ille, solus, inquit, tantū esse cœpi, postquam te huc contulisti.

Hæc indicat fabula, eruditos uiros, qui doctissimorum uirorum turba continue stipantur, tunc solos esse, cū inter illiteratos homines fuerint.

## DE LVPO OVIS PELLE INDVTO,

qui gregem deuorabat. 76

**L**upus ouis pelle indutus, ouium se immiscuit gregi, quotidieq; aliquam ex eis occidebat. Quod cum pastor animaduertisset, illum in altissima arbore suspendit. Interrogantibus autem ceteris pastoribus, cur ouem suspendisset, aiebat, Pellis quidem ut uidetis, est ouis, opera autem erant lupi.

Hæc indicat fabula, homines non ex habitu, sed ex operibus iudicandos, quoniam multi sub uestimentis ouium, lupina faciunt opera.

## DE PATRE FILIVM AD VIRTUTES

frustra hortante. 77

Pater

**P**ater quidam filium uitijs deditum, multis hortabatur uerbis, ut derelicta uitiorum uia, uirtutibus inuigilaret, quæ ei laudem & decus erat parituræ. Cui filius, Frustra, inquit, pater ad hæc facienda hortaris. Multos enim prædicatores (ut aiunt) audiui, qui longe te melius ad uirtutum hortabantur uiam, nunquam tamen eorum admonitionibus obsecutus sum.

Fabula indicat, uiros malignæ naturæ, nullius hortatu à uitijs uelle desistere.

## DE CANE OVES DOMINI SVI OCCI

dente, à quo suspensus est.

78

**P**astor quidam cani oues suas dederat custodiendas optimis illum pascens cibis. At ille saepè aliquā ouem occidebat. Quod cum pastor animaduertisset, canem capiens, eū uolebat occidere. Cui Canis, Quid me, inquit, perdere cupis, sum unus ex domesticis tuis, interfice potius lupum, qui continue tuo insidiatur ouili. Imò, inquit pastor, te, quam lupum morte dignū magis puto. Ille enim palam se meum hostem profitetur: Tu uero amicitiae specie, quotidie meum immunuis gregem.

Hæc innuit fabula, longe magis puniendos, qui sub amicitiae specie nos lœdunt, quam qui aperte se nostros inimicos profitentur.

## DE ARIETE CVM TAVRO

pugnante.

79

**A**ries quidam inter lanigeros greges, erat tanta cornuum & capitis firmitate, ut cæteros arietes statim facileq; superaret. Quare cum nullum amplius arietem inueniret, qui occursanti sibi auderet obſistere, crebris elatus

elatus uictorijs, taurum ausus est ad certamen prouocare.  
Sed primo congressu, cum in taurinam frontem arietasset,  
tam atroci ictu repercußus est, ut ferè moriens hæc dice=ret,  
Stultus ego, quid egi, cur tam potentem aduersarium  
ausus sum laceſſere, cui me imparem creauit natura?

Fabula indicat, cum potentioribus non esse decer=tandum.

## DE VIDVA ET ASINO VIRIDI. 80.

**V**Idua quædam cœlibatum exosa, nubere cupiebat,  
sed non audebat, uerita uulgi irrisiones, qui maledi=ctis eas solet incessere, quæ ad secundas tranſeunt nuptias. Sed commater eius, quām contemnendæ eſſent populi uoces, hac arte monstrauit, iuſſit enim asinum albū quem uidua habebat uiridi colore depingi, & per omneis urbis uicos circunduci. Quod dum fieret, tanta admiratio ab ini=tio omnes inuaserat, ut non ſolum pueri, uerum etiam fe=nies hac re insolita moti, asinum animi gratia comitaren=tur. Deinde cum huiusmodi animal quotidie per urbē du=ceretur, defierunt admirari. Itidem, inquit ad uiduam cō=mater, eueniet tibi. Si enim uirum acceperis, per aliquot dies eris fabula uulgi. Deinde hic sermo conticeſcet.

Hæc fabula indicat, nullam rem esse tanta dignam ad=miratione, quæ diuinitate temporis non definat esse mi=raculum.

## DE AQVILA FILIOS CUNI=culi rapiente. 81

**A**quila in altissima arbore nidulat, catulos cuniculi qui lōge inde paſcebantur, in escam pullcrū ſuorum rapuerat. Quam cuniculus blandis orabat uerbis, ut ſuos ſibi filios

sibi filios restituere dignaretur. At illa eum ut pusillum & terrestre animal, & ad sibi nocendum impotens arbitrata, eos in cōspectu matris unguibus dilacerare, & pullis suis epulandos opponere non dubitauit. Tunc cuniculus filiorum morte commotus, hanc iniuriam minime impunitam abire permisit: arborem enim, quæ nidum sustinebat, radicitus effodit. Quæ leui impulsu uentorum procidens, pullos aquilæ adhuc implumes, & inuolucres, in humum deiecit, qui à feris depasti, magnum doloris solatum cuniculo præbuerunt.

Hæc indicat fabula, neminem potentia sua fretum imbecilliores despiceret, cum aliquando infirmiores potentiorum iniurias ulciscantur.

DE LVPO PISCE FLV VII, MARIS  
regnū afflante. 82

**L**upus piscis erat in amne quodam, qui pulchritudine, magnitudine, ac robore, cæteros eiusdem fluminis pisces excedebat. Vnde cuncti eum admirabantur, & tanquam regem præcipuo prosequebātur honore. Quare in superbiam elatus, maiorem principatum coepit appetere. Relicto igitur amne, in quo multos annos regnauerat, ingressus est mare, ut eius regnum sibi uendicaret, sed offendens delphinum miræ magnitudinis, qui in illo regnabat, ita ab illo insectatus est, ut aufugiens uix annis ostium ingredieretur: unde amplius non est ausus exire.

Hæc fabula nos admonet, ut rebus nostris contenti, ea non appetamus, quæ nostris uiribus sunt longe maiora.

DE OVE PASTORI CONVICIANTE. 83

Ouis

**O**vis cōuiciabatur pastori, quod non cōtentus lacte,  
quod in usum suum, filiorumq; ab ea mulgebat, in=  
super illā uellere denudaret. Tunc pastor iratus, filiū eius  
trahebat ad mortē. Ecquid, inquit ouis, peius mihi facere  
potes? Ut te, inquit pastor, occidam, & lupis canibusq;  
projiciam deuorandam. Siluit ouis, maiora adhuc mala for  
midās. Hæc fabula indicat, nō debere homines in Deū  
excandescere, si diuitias, si filios ipsis permittat auferri,  
cum etiam maiora, & uiuentibus & mortuis, possit in=  
ferre supplicia.

## DE AVRIGA ET ROTA CVRRVS

stridente.

84

**A**vriga interrogabat currū, quare rota, quæ erat de  
terior, strideret, cum cæteræ idem non facerent. Cui  
currus, Aegroti, inquit, semper morosi, & queruli esse  
consueuerunt. Hæc indicat fabula, mala solere homines  
ad querimoniam semper impellere.

## DE VIRO AMICOS EXPERIRI

uolente.

85

**V**ir quidam diues admodum & liberalis, magnā ha=  
bebat amicorum copiam, quos ad cœnam sæpiſſime  
inuitabat, ad quam libentissime accedebant. Volens autem  
experiri, an in laboribus, & periculis sibi fidèles essent,  
omnes pariter cōuocauit, dicens obortos sibi inimicos, ad  
quos perdendos ire statuerat. Quare correptis armis se=  
cū irent, ut illatas sibi ulciscerentur iniurias. Tūc omnes  
præter duos, sese excusare cœperunt. Cæteris igitur repu  
diatis, illos tantum duos in amicorū numero habuit, quos  
deinde singulari amore prosecutus est.

q Hæc indi

Hæc indicat fabula, aduersam fortunam, amicitiae experimentum esse quam optimum.

DE UVLPE CARNEM LEPORIS  
canilaudante.

86

**V**ulpes cum fugaretur à cane, & iamiam esset capienda, nec ullam aliam evadendi viam inuenire posse se cognosceret, Quid me, inquit, ò canis perdere cupis, cuius ius caro tibi usui esse non potest? Cape potius leporem illum (non procul enim lepus aberat) cuius carnē suauissimam mortales esse comemorant. Canis igitur motus consilio uulpis, omissa uulpe leporem insecutus est, quem tandem ob incredibilem eius uelocitatem capere non potuit. Paucis post diebus, lepus conueniens uulpem, uehementer eā accusabat (uerba enim cius audierat) quod se cani monstrasset. Cui uulpes, Quid me accusas lepus, quæ tantopere laudavi? Quid dices, si te uituperassesti?

Hæc indicat fabula, multos mortales sub laudationis specie alijs perniciem machinari.

DE LEPORE CALLIDITATEM ET  
uulpe celeritatem à Ioue pe-  
tentibus.

87

**L**epus & uulpes à Ioue petebant: Hæc, ut calliditatem suæ, pedū celeritatem: Ille, ut uelocitati suæ, calliditatem adiungeret. Quibus Iupiter ita respondit, Ab origine mundi, è sinu liberalissimo singulis animatibus sua munera sumus clargiti. Vni autem omnia dedisse, aliorum fuisset iniuria. Hæc innuit fabula, deum singulis sua munera ita esse æquali lance largitum, ut quisque esse debeat sua sorte contentus.

De equo

DE EQVO INCVLTO SED VELOCI,  
 & cæteris eum irridentibus. 88

**E**Qui complures ad Circenses ludos fuerant adducti, pulcherrimis phaleris ornati, præter unum quem cæteri, ut incultum, & ad huiusmodi certamen in eptum, irridabant, nec unquam uitorem futurum opinabatur. Sed ubi currendi tempus aduenit, & dato tuba signo cuncti è carceribus exiliere, tum deum innotuit, quāto hic paulo antè irrisus, cæteros uelocitate superaret. Omnibus enim alijs post se longo interuallo relictis, palmā assecutus est.

Fabula indicat, non ex habitu, sed ex uirtute homines iudicandos.

DE RVSTICO PER VOCEM HOEDI  
 ad iurisconsultum admisso. 89

**R**Usticus quidam graui lite implicitus ad quendam iuri consultum accesserat, ut eo patrono sese explicaret. At ille alijs negotijs impeditus, renuntiari iubet se non posse nunc illi uacare. Quare abiret, alijs redditurus. Rusticus qui huic, ut ueteri fidoq; amico, plurimum fidebat, saepius rediēs nunquam admissus est. Tandem hœdum adhuc lactentem & pinguem secum deferens, ante ædes iurisperiti stabat, & hœdum uellicans illum balare cogebat. Ianitor, qui ex precepto heri dona portantes statim admittere solebat: audita hœdi uoce, ianuam illico aperiens, hominem introire iubet. Tunc rusticus ad hœdum conuersus, Gratias, inquit, ago hœdule mi, qui tam faciles mihi has effecisti fores.

Fabula indicat, nullas res tam duras difficilesq; esse, quas munera non aperiant.

infirmo, &amp; lupo.

90

**A**Dolescens quidem uxorem duxerat, & ipsam quo que adolescentulam, formosam admodum, & libidinosam, cuius effrenæ libidini dū satis facere cupit, ita lumbos exhausit, ut paucis diebus macilentus fieret, & mortuo magis, quam uiuo similis uideretur: non ingredi, non stare, non aliquod opus facere poterat: ut senex quidam apricatione gaudebat. Dum ergo in aprico stans loco, calore solis se se calefaceret, accidit ut uenatores, qui lupum fuerant insectati, illac iter haberent. Quos cum adolescēs interrogaret, cur lupum non ceperant, ob incredibilem, inquiunt, illius uelocitatem, illum assequi non potuimus. Tunc ait adolescens, Vxorem profecto hic lupus haberē non debet, si enim uxori iunctus esset, nunquam tanta perniciate polleret.

Hæc indicat fabula, neminem esse adeo robustum & fortē, quem nimius Veneris usus, non infirmum & debilem reddat.

D E S E N E I V V E N E M P O M A S I B I S V R= ripientem, saxis deijsiente.

91

**S**Enex quidem iuuenem sibi poma surripiuentem blan-  
dis orabat uerbis, ut ex arbore descenderet, nec res suas uellet auferre. Sed cum incassum uerba funderet, iu-  
uene eius etatem ac uerba cōtemnente, Non in uerbis tan-  
tum, inquit, uerum etiam in herbis audio esse uirtutē. Her-  
bas igitur uellere, & in illum iacere cœpit. Quod iuuenis  
conspicatus, in uehementem risum effusus est, & senem  
delirare arbitrabatur, qui crederet eum ex arbore herbis  
posse

posse depellere. Tūc senex omnia experiri cupiens, Quādo, inquit, uerborum & herbarum uires, aduersus rapto=rem mearum rerum nullae sunt, lapidibus agam, in quibus quoque dicunt esse uirtutem, lapidesq; quibus gremium impleuerat, in iuuenciaciōns, illum descendere & abire coēgit.

Hæc fabula indicat, omnia prius sapienti tentanda, quam ad armorum confugiatur auxilium.

D E L V S C I N I A C A N T V N A C C I P I T R I  
pro uita pollicente. 92

**L**Vscinia ab accipitre famelico comprehensa, quum se ab eo deuorandā intelligeret, blande eū rogabat, ut se dimitteret, pollicita pro tanto beneficio ingentē mercedem sese relaturam. Cum autem accipiter eam interroga=ret quid gratiæ sibi referre posset: Aures, inquit, tuas melifluis cantibus demulcebo. At ego, inquit accipiter, malo mihi uentrem dumulceas: sine tuis enim cantibus uiuere, sine cibo uero non possum.

Hæc fabula innuit, utilia iucundis anteponenda

D E L E O N E P O R C V M S I B I

socium eligente. 93

**L**Eo cum socios asciscere sibi uellet, multiq; animalia sese illi adiungere optarent, idq; precibus, & uotis exposcerent, cæteris spretis, cum porco solum societatem uoluit inire, rogatus autem causam, respondit, Quia hoc animal adeò fidum est, ut amicos & socios suos in nullo quantumuis magno discrimine, unquam relinquat.

Hæc fabula docet eorum amicitia appetendam, qui aduersitatis tēpore à præstanto auxilio nō referunt pedem.

D E C V L I C E C I B V M E T H O S P I =  
tium ab Ape petente.

94

**C**vlex hyberno tempore cum & fame & frigore se  
operiturum conijceret, ad apium accessit aluearia, ab  
eis cibū & hospitiū petens. Quæ si ab eis fuisset cōsecu= 94  
tus, promittebat filios earum artē musicā edocturū. Tūc  
quædā apis, At ego, inquit, artē meam malo liberi mei di= 94  
scāt, quæres à famis et frigoris periculo eximere poterit.

Fabula nos admonet, ut liberos nostros his artibus  
erudiamus, quæ eos ab inopia ualeant uendicare.

## D E A S I N O T V B I C I N E E T

lepoore tabellario.

95

**L**eo rex quadrupedum aduersus uolucres pugnatu= 95  
rus, suorum acies instruebat. Interrogatus autem ab  
urso quid ei asini inertia, aut leporis timiditas, ad uicto= 95  
riam cōferre possent, quos ibi inter cæteros milites adesse  
cernebat, respondit: Asinus tubæ suæ clangore milites ad  
pugnam concitabit: Lepus uero ob pedum celeritatem, ta= 95  
bellarij fungetur officio.

Fabula significat, neminem adeò contemptibilem, qui  
aliquare nobis prodesse non possit.

D E A C C I P I T R I B V S I N T E R S E I N I M I  
cis, quos columbæ pacauerant.

96

**A**ccipitres inuicem inimici quotidie decertabant, su= 96  
isq; odijs occupati, alias aues minime infestabant.  
Columbæ eorum uicem dolentes, eos missis legatis com= 96  
posuere. Sed illi ubi inter se amici effecti sunt, cæteras  
aues imbecilliores, & maxime columbas uexare, & occi= 96  
dere nō desinebant. Tunc secum columbæ, Quām utilior  
accipiitrum

~~accipirum discordia, quām concodia nobis erat.~~

Hæc monet fabula, malorum inter se ciuium odia aliena potius, quām extinguenda, ut dum inter se digladiantur, uiros bonos quiete uiuere permittant.

DE MVLIERE IGNEM IN MARITI  
domum ferente. 97

**V**IR quidam prudens uxorem ducebat. Interrogatus autem ab amicis, quid sibi ualet facula illa, quam noua nupta accensam à paterna domo efferret, rursusq; mariti domum ingressura accendit, & introfert. Significat, inquit, me hodie ignem, è socii mei ædibus ablatum, in domum meam inferre.

Fabula significat, sæpen numero mulieres ignem quendam esse, qui mariti bona comburit.

DE PRAETORE REPETVNDÆ  
rum damnato. 98

**P**RÆTOR qui prouinciam, cui præfuerat, expilauerat, repetundarum accusatus fuerat. Cumq; ægrè ablata restitueret, dicebat quidam è prouincialibus, **Hic noster** prætor mulieres imitatur, quæ fœtus concipientes mira uoluptate afficiuntur, cum autem eos emittunt, incredibili dolore torquentur.

Fabula significat, aliena non esse surripiēda:ne illa deponere coacti, mœrore conficiamur.

DE SENE MORTEM DIFFERRÆ  
uolente. 99

**S**ENEX quidam mortem, quæ eum è uita raptura aduenierat, rogabat, ut paululū differret dum testamentū conderet, & cætera ad tantū iter necessaria præpararet.

Cui mors, Quur non, inquit, hactenus præparasti, toties à me amonitus? Et quum ille eam nunquam à se uisam amplius diceret: Quū, inquit, nō æquales tutos modo quo rum nulli ferè iam restant, uerum etiam iuuenes, pueros, infantes, quotidie rapiebam, non te admonebam mortalitatem tuæ? Quum oculos hebescere, auditū minui, cæterosq; sensus indies deficere, corpus ingrauescere sentiebas, nō ne tibi me propinquam esse dicebam? Et te admonitum negas? Quare ulterius differendum non est.

Hæc fabula indicat, ita uiuendum, quasi mortem semper adesse cernamus.

## DE VIRO AVARO SACCULVM.

numorum alloquente.

100

**V**ir quidam auarus, qui ingentem aureorum aceruū male partum relicturus, moriebatur, interrogabat sacculum numorum, quem morienti sibi iussérat efferrri, quibus uoluptatem esset allatus. Cui sacculus: Hæreditibus, inquit, tuis, qui numos à te tanto sudore quæfitos, in scortis & conuiuijs profundent, & dæmonibus, qui animam tuam æternis supplicijs mancipabunt.

Hæc indicat fabula, stultissimum esse in his laborare, quæ alijs gaudium, nobis autem sint allatura tormentum.

FINIS HECATOMYTHI I  
PRIMI.

HECATOMYTHIVM  
SECUNDVM EIVSDEM  
ABSTEMII.

LAVRENTIVS ABSTEMIVS MAGNIFICO  
ac strenuo viro D. Angelo Gryphoni equiti  
aurato Sal. P. D.



O G I T A N T I mihi, uir magnifice,  
cui potissimum dono darem hunc apolo-  
gorum libellum: quem ut alium à me su-  
perioribus annis editum, & illustri prin-  
cipi Octauiano dedicatum, Hecatomy-  
thium, de numero fabularum nuncupavi, tu non hoc mo-  
do, uerum etiam maiori dignus munere occurristi. Non  
quia utroq; parente clarissimo ortus sis: multi enim gene-  
rosis orti parentibus, & à maiorum uirtutibus degene-  
rantes, dedecori suis fuere. Nec quia amplas diuitias &  
opes possides: multi enim locupletissimi indocti, incultiq;  
sunt: quos Diogenes ille Sinopæus oues aureo induitæ  
uellere nuncupabat. Sed quia ut multorū, & Benentis no-  
stri præcipue sermone accepi, ita omni uirtutū genere ful-  
ges, ita literas & literatos amas, ut maiorum tuorū glo-  
riam nō modo æques, uerum etiam superes. Diuitijs uero  
non incumbis, ut draco ille peruigil, qui aurea mala serua-  
bat, sed eas ad liberalitatem confers: & hoc famis tēpore,  
ne homines inedia pereant, multorum succurris inopiæ.  
Cæteras uirtutes tuas laudo & admiror: hoc autē pietati-  
is opus quibus laudibus efferre debeam, non inuenio. Sed  
tu non hoc facis, ut humanam gloriam consequaris: Non

q s                   cñim

enim hic mercedem recepturus es. Non in eorum numero  
reponendus es, de quibus Vergilius:

*Aut qui diuitijs soli incubuere repertis:*

*Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est.*

Merito igitur te potissimum elegi, cui hanc meam inscriberem lucubratiunculam, mei in te amoris & obseruatiæ testem. Tu uero pro tua humanitate hoc exiguum Abstemij tui munus læto animo & serena fronte suscipe: non rem, sed dantis animum, uoluntatemq; considerans. Vale ex urbe Fanestri pridie Kalendas Maij, M. D. V.

DE DIVITE PETENTE A FORTUNA

*ne plures sibi daret diuitias.*

**V**ir quidam admodum diuitarum & opum suarum pertæsus, mendico homini centum aureos obtulerat, si ad Fortunam suam accedens, quæ in remotis orbis partibus morabatur, eam nomine suo rogaret, ne plures diuitias sibi concederet. Pauper longi itineris labore deterritus, primo abnuit: Sed quum deinde consilij pœnitens se iturum polliceretur, diues non plusquam nonaginta dare uelle se dixit. Pauper hanc paruā tanti laboris mercedē ratus, renuit primo, sed quū paulo post nonaginta peteret, diues uix ut octaginta daret, poterat adduci. Sed quū mēdicus hunc quoq; numerū recusaret, postea uellet, semper diues ex numero oblato decē detrahēbat, donec ad denariū numerū peruenisset. Mēdicus tandem qui centū recusarat aureos, inopia urgēte aureis decē acceptis, ad Fortunam se cōtulit, multis eā rogās precibus, ne in diuitem plures uellet conferre diuitias, quæ illi molestæ & graues admodū erāt. Sed in sc̄ potius uellet esse benigna, qui à te

neris

neris annis in ppetua uixerat inopia. Tūc Fortuna, cōsti  
tui inquit, diuiti illi, q te misit etiā nolēti duplicare, imo,  
triplicare diuitias. Te autē in summa mēdicitate perpetuo  
uiuere faciam. Decem autem quos accepisti aureos, nun=  
quam habuisses, nisi tūc arctissimus me oppressisset som=  
nus. Fabula indicat, Fortunam infelici homini semper  
aduersam, fortunato autē etiā nolēti semper esse propitiā.

## DE VIDVA QVAE OPERARIVM SVVM

sibi coniugio copulauit. 2

**V**Idua quædā cōquerebatur cū operario, quē ad fodi  
endū agrū cōduxerat, qd' omni auxilio destituta nō  
posset & uiri & mulieris pariter officiū sustinere. Tunc  
operarius eam exhortari cœpit, ut uirū acciperet, qui bo=  
nam magnamq; partē oncris ei demerct, pollicitusq; est se  
cā sibi matrimonio copulaturū, si eū tali officio idoneum  
iudicaret. Tū mulier nō ulterius cunctandum rata, quum  
hūc ad opus maritale admodū aptū arbitraretur, fac, in=  
quit, quicquid uis, deinde (erat enim hora prādi) comedē  
mus. Operarius & huiusmodi cōfubilatione, et uiduæ for=  
ma ad Venerē incitatus, Syluano auspice matrimoniuū con=  
summauit, proq; agro uiduā fodere cœpit. Fabula indi-  
cat, q facile humanæ mentes uenerea uoluptate capiantur.

DE VIRO DEFLENTE UXOREM, QVI  
tamen ostendit statim aliā superducere uelle. 3

**V**I R quidam pauper defunctæ uxoris mortem  
multis lachrymis, & querelis prosequebatur,  
se niserum & infelicem uocans, qui tam probæ  
mulieris esset consortio destitutus: utque suum in  
uxorem testaretur amorem, dicebat in mortuam turtu=

re compare

ris cōpare priuati, in perpetuo cōlibatu uelle permanere. Inter lamentandum autem cernens quod mulieres, quae ad curandum funus conuenerant, ueste nimū sumptuosa defunctam induere uolebāt. Quid facitis, inquit, stultæ? Cur tam prætiosam uestem perdere uultis? quid alia uxor, quā ducturus sum, feret? Tunc omnes, qui aderant, inter luctus & lachrymas uix risum poterant continere. Qui enim paulo ante cōlibem uitā agere uelle se dixerat, nunc de alia uxore cōperat cogitare. Fabula indicat difficile esse animi ægritudinem uerborum simulatione celare.

## D E S A C E R D O T E Q V I Q V I N Q V E

uestales prægnantes fecerat.

4

**S**acerdos quidam, spectatæ admodum uitæ, ab episcopo uenerabili uiro, monasterium custodiendum curandumq; acceperat, in quo quinque mulieres deo dicatae, iuuenes, sed non multum pudicæ, erant inclusæ. Sed quoniam mentes quoque ferreæ libidine superantur: infelix uir non cogitans cui faceret iniuriam, illarum forma ac illecebribus delinitus, intra anni circulum quinque ex illis filios procreauit. Quod quum Antistes audisset, ira & furore succensus, accersitum ad se sacerdotem uehementer increpuit, perfidum, & sacrilegum hominem nūcupans, qui templum spiritus sancti esset ausus uiolare.

At ille rubore suffusus, quum se aliter defendere nesciret:

**N.B.** Domine inquit quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Quo dicto tam faceto permotus episcopus, homini ueniam dedit.

Fabula indicat, peccata quum ratione nequeant, urbanitate diluenda.

De Epi

DE EPISCOPO QVI SACERDOTI IGNORuerat, numos armatos afferenti.

**E**piscopus quidā pecuniae, quām salutis animae cupidi=or, sacerdotem quendā, qui grauiſſimū quoddā sce=lus perpetrarat, condemnare decreuerat. At ille, cui præ=ſulis ſui erat auaricia nota, lancem aureis plenam, quibus imago regis armati erat impressa, episcopo dono dedit. Tūc Antistes, Constituerā inquit te omnino perdere: Sed quis posset tot armatis obſtēre? inuitus te cogor absol=uerē. Fabula indicat, nullum ſcelus eſſe tam deformē, quod uir auarius pecuniae magnitudine non condonet.

DE PSITTACO ADMIRANTE CVR  
maior honor alibi quām in patria  
ſibi exhiberetur.

**P**sittacus ex oriente in occidentem delatus, ubi huius=modi aues nasci non consueuerunt, admirabatur ſe in maiori pretio, et honore haberī, quām in natali conſueiſſet ſolo: Nam caueam eburneam, argenteis contex=tam uirgis incolebat, ſuauiſſimisq; alebatur cibis, quod cæteris auibus occidentalibus, quæ neq; in forma, neque ex=primendis humanis uocibus erant inferiores, non contin=gebat. Tunc turtur in eadem cauea conclusus, hoc in=quit, nulla eſt admiratione dignum. Nulli enim in patria meritus honor exhiberi ſolet.

DE AQVILA IN PVLCHRITUDINE  
ſe cæteris auibus præferente.

**A**quila ſe in pulchritudine cæteris auibus præferebat, Acunctis hoc uerum eſſe affirmantibus. Pauo autem ſecum dicebat: Non pennæ te formosam, ſed roſtrum et unguces

ungues efficiunt, quorum timore nulla ex nobis audet tecum de formositate certare. Fabula indicat, à multis, res potentiorum non tam ueritate quam timore laudari.

## D E T E S T V D I N E A B A Q V I L A I N

altum sublata.

8

**T**Estudo ægreferens se in locis humidis, & conualibus assidue commorari, Aquilam rogauit, quam audierat ita alte uolare, ut maximos terrarum tractus posset longe & late desplicere, ut se in altum tolleret, unde ipsa quoq; mōtes & ualles, campos, & æquor, eodem temporis momento, posset intueri. Quod quum Aquila prompte fecisset, eam ex alto demisit, unde cadens humiliata & confracta est. Fabula monet, ne quis se altius extollere uelit, quam eius conditio aut natura patiatur.

D E C A N E A D V E R S V S L V P V M A S I N O  
non opitulante, quia sibi panem  
non dederat.

9

**C**Anis Molossus non modo ad Lupos, sed etiam ad Ursos expugnandos ualidus, cum asino, qui saccum panibus plenum ferebat, longum iter fuerat ingressus. Inter eundum autem oborta fame, asinus pratum offendens, large uentrem uirentibus herbis impleuit. Canis autem asinum rogabat, ut aliquantulum panis sibi daret, ne periret inedia. At ille non solum panem non dabat, sed Canem irridens, illi ut secum herbas pasceret consulebat. Interim Lupum aduenientem asinus conspicatus, Canem rogabat, ut sibi esset auxilio. Cui Canis, Tu mihi, inquit, cōsulisti ut aduersus famem herbas pascerem. Ego quoque tibi cōsulo, ut aduersus Lupum te ferratis calcibus tuearis.

tucaris. Hæc quum dixisset, abiens ingratum comitem, et raptoris sui mox cibum futurum in pugna deseruit.

Fabula indicat qui indigentibus expetita non præstat auxilia, ab alijs quoq; necessitatis tempore solere destitui.

## DE PAUPERE FLENTE RVINAM

domus, ubi thesaurum inuenit. 10

**V**ir quidam pauper nihil habebat, præter domum ruinam minantem, tibicinibusq; suffultum, quam ab agro rediens quum ruentem offendisset, nec haberet unde eam reficeret, uehementer angebatur, magnoq; eiulatu & clamore cuncta complebat. Inter lamentandum autem cernit urnulam æneam, quæ multos iam annos in pariete obstrusa latuerat, inter rudcta & saxa iacentem, quam quum sustulisset, apertamq; aureis plenam inuenisset, eiulatu & clamore compressis, uehemeti gaudio afflatus est.

Fabula indicat, sæpen numero id nobis utile esse, quod damnosum putabamus.

## DE VVLPE ORANTE FORAMEN DOMVS

modo dilatari, modo contrahi. 11

**V**ulpes ingressura domū rustici, ubi gallinas audierat, foramen, per quod transeundū erat, dilatari cupiebat. Sed rursus quum raptam gallinam frēs inde fuge ret, & latratum canis audiret, deos precabatur, ut cani foramen esset angustum, ne inde posset exire.

Fabula indicat, mortales pro cōmodis suis uota mutare.

## DE OLEA TARDE, ET CVCVRBITA

citò crescentibus. 12

**O**lea admirabatur Cucurbitam iuxta se natam breui tantum creuisse, ut se casset longe altior, quæ annos quamplius

quamplurimos in eodem fuerat loco. Sed quum aduetate  
hyeme Cucurbita exaruiisset, minime inquit Olea, cito cre-  
scentibus est inuidendum, quibus tam citus est paratus in-  
tertius.

Fabula indicat nimium festinata non esse diuturna.

DE PECVNIA POTIVS AD MALOS,

quām ad bonos accedente.

13

**P**ecunia iterrogata à Virtute, cur potius ad malos,  
quām ad bonos accederet. Quia boni inquit metiri,  
peierare, usuram facere, & alios spoliare te magistra non  
didicerunt. Hæc enim res ad se se me trahere solent. Tunc  
Virtus, malo inquit discipuli mei in paupertate degant,  
quām se se his uitijis contaminent. Vtrisq; enim cito mori-  
endum est: Boni in terrarum orbe gloriam relinquentes  
sempiternam, ad cœlestia regna subuolabunt: Mali autem  
merita notati infamia relictis opibus suis, ad tartara ima  
descendent. Fabula monet diuitias turpiter non cogre  
gandas, quæ amatoribus suis hic infamiam, post mortem  
autem sint daturæ tormentum.

DE BVBONE DICENTE AQVILAE

filios suos cæterarum avium filijs

esse formosiores.

14

**A**quila in concilio avium dixerat, cæterarum aviū  
filios, qui magis formosi essent in aulicos eligere.  
Et quū certatim quæq; suos offerret, Bubo Regina inquit  
nostra, meos accipe, qui cæteros pulchritudine superant.  
Quia forma inquit Aquila sunt filij tui? Quia ego sum Bi-  
bo respondit. Tūc cunctæ aues sunt uehementi cachinno  
commotæ. Fabula indicat, neminem natum adeo defor-  
mem, qui

**mēm, qui parentibus suis non uideatur eſſe formosus.**

DE VVLPE IN PUTEVM DELAPSA,  
quæ lupum rogabat ut inde eam  
subduceret. 15

**V**ulpes in puteum delapsa, & iamiam submergēda,  
rogabat Lupum in putei margine existentē, ut de=  
missō fune illinc eā educeret. Cui lupus, quomodo inquit  
istuc decidisti: Nō est nūc ait Vulpes, istud narrandi tem=  
pus: Quū me hinc subduxeris, tibi ordine cūcta narrabo.

Fabula indicat, quomodo periclitantibus celeri auxilio  
opus est, superiuacuis uerbis tempus non eſſe terendum.

DE FELE QVAE MVRLEM ET  
caseum comedit. 16

**V**Ir quidam magnum ac pulcherrimum in capsā ca=  
seum habebat, quem musculus edebat. Ex consilio  
ergo amici Felem illuc clausit, quæ occiso mure totum ca=  
seum comedit. Fabula indicat, eos non adhibendos cu=  
stodes, qui non minus quam hostes nobis nocere possunt.

DE LAVTO LEONIS CONVIVIO,  
non omnibus animalibus grato. 17

**L**Eo epulum opipare appareatq; cæteris brutis ani=  
malibus exhibebat, in quo gallinæ, turdi, & huius=modi auium carnes, partim assæ, partim elixæ erant. Hoc  
cani, feli, & cæteris animalibus carniuoris gratū admodū  
erat. Cætera autem, quæcunq; herbis ordeoq; uescuntur,  
huiusmodi conuiuiū ut insipidū damnabant. Fabula in= dicat, quam difficile sit uariæ uulgi uoluntati satisfacere.

DE VIRO DE MORTE PATRIS  
pisciculos sciscitante. 18

**V**ir quidam doctus ad conuiuium cuiusdā principis accitus, & in ultimo loco discumbere iussus: quū cæteris cōuiuis magni pisces, sibi autem minutuli apponenteretur, nullum cedebat. Sed singulos ori prius, deinde auribus admouēs, tāquam aliquid ab eis scitaturus, in patinis integrōs & illæsos reponebat: interrogatus à magistro cōuiuij, cur hoc faceret: meus inquit pater ante hoc biennium his in regionibus naufragio perijt, nec quid de eius cadauerē factū sit, postea scire potui. Sciscitabar ergo ab his pīsciculis, an aliqd de eo scirēt. Verū hi eo tēpore nondū senatos fuisse respōdent. Quare maiores interrogādi eſſēt. Princeps audito tā lerido dicto, ipsi quoq; maiores iussit exhiberi, semperq; eū postea inter præcipuos cōuiuas habuit. Fabula indicat, apud literarum inopes doctis uiris non tā doctrinā, quām facetias & urbana dicta prodeſſe.

DE CANE PLUVIAM TIMENTE,

quia feruenti aqua fuerat  
excoctus.

**C**anis qdā quoties pluebat domo egredi nō audebat. Interrogatus ab alio cane, cur hoc faceret. Quia inquit quondam feruenti aqua excoctus sum. Fabula indicat, grauiæ mala expertis, leuiſſima quæq; timori eſſe.

DE VIRO VICINO Q VI CONVI-

ciante uescicam concutiebat.

**V**ir quidam prudens mitis ac tranquilli ingenij habebat uicinum maledicū, iurgiorū amantem, qui eū cotidie conuicijs & maledictis ad iram prouocabat. Ut igitur illius petulantiam & procacitatem retunderet, quoties cum conuiciantem audiebat, nil respondebat, sed uescicam

**S**ic am uento plenam, in qua fabas concluserat, concutiebat, cuius sonitu illum erubescere, & à conuicijs desistere compellebat.

Fabula indicat, maledictis & stultis uiris minime respondendum, ne eis similes iudicemur.

DE ASINO, QVI PORCO

inuidebat.

21

**A** Sinus porco, qui sub eodem erat domino plurimum inuidebat, quod omnis laboris expers, uarijs nutritur cibis, indiesq; pinguior fieret: ipse autem plurimum laboris sustinens duris paleis alcretur: unde macilentus effectus uix ingredi posset. Sed ubi uidit contubernalem suū ad lanienā trahi, ut occisus hominum esset cibus, aliquantulum recreatus, Atat, inquit, hinc illa in nutriendo porco hominū diligentia. O' quam melius est Asinum esse quam porcū. Fabula indicat, ijs quos felices putamus, minime inuidendum, quum illa adumbrata felicitas saepe multæ sit causa miserie.

DE MULIERE OB TVRDOS VERBERATA. 22

**V**ir quidam iracundus emens merulas, dederat uxori coquendas, dicēs, Coque hos turdos, cui uxor, Merulæ sunt non turdi. Quum autem maritus contenderet esse turdos, nec uxorem posset inducere, ut turdos esse a sentiretur, plurimis eam uerberibus affecit. Exacto autem anno, quum dies certaminis illuxisset, mulier uerberum memor, hæc est inquit illa dies, qua me superiori anno ob illas maledictas merulas tam male tractasti. Adhuc inquit uir negare audes illos fuisse turdos? & quū rursus mulier uiro non cederet, iterum uapulauit, sicq; quotan-

nis eadem die redeunte uapulabat. Fabula indicat, stultum esse aduersus potentiores se ob minimam rem uelle contendere.

D E V I K O Q VI E X P E R I R I V O L V I T  
mentem uxoris. 23

**V**ir quidam callidus experiri cupiens animū uxoris, quæ sēpē numero dicere solebat, adeo uiri amorem sibi infixū, quòd si optio daretur, mariti uitam sua morte redimeret, super nudos utriusq; pedes stuppā igne succensam decidere permisit. Tunc mulier dolore affecta, amorisq; oblita mariti, à suis tantum pedibus ardente stuppam excusſit. Fabula uiros admonet, ne mulieribus fidē adhibeant, quū maritos magis quam se ipsas amare testantur.

D E O P I L I O N E Q VI I N T E R  
canes Lupum aluerat. 24

**O**pilio reperiens catulum Lupi domum tulit, cumq; inter canes ouium custodes, aluit: qui ubi adoleuit, oues occidere, canesq; ut unā secum comederet, edocere. Quod Opilio animaduertens Lupū quidē occidit, canes tamen ut ab ouiu cāde tēperarent, nō poterat prohibere. Tunc pastor secū, Merito plector, ut qui Lupum canibus immiscui, qui eos oues occidere docuit. Fabula indicat bonorum mores malorum consuetudine corrumpi.

D E F I L I O H O R T V L A N I P V N C T O  
ab Vrtica. 25

**F**ilius Olitoris pūclus ab Vrtica, quæ paternis in hortis creuerat, conqueſtus est patri, quòd herba domeſtica ne heri quidem sui filio pepercisset. Cui pater, fili inquit huic innatum est omnibus eandem esse. Fabula indicat,

**c**at uirum natura malignum, ne à domesticorum quidem iniurijs abstinere.

## DE GALLO VULPINAM PELLEM

fugiente.

26

**G**allus à Vulpes captus, magna difficultate illius manus euaserat. Hic paulo post uisa Vulpis pelle, uehe mēter territus fugiebat, qui cum à cæteris irridetur aui bus, quod inani timore concuteretur, Si inter Vulpis un= gues ut ego, inquit, fuissetis, pedum uestigia, nedum peltē illius timeretis. Fabula indicat, è magnis periculis elas= psos, queq; minima formidare solere.

## DE PASTORE GREGEM SVVM AD=

uersus Lupum hortante.

27

**P**Astor, qui magnum caprarum ouiumq; gregem ha= bebat, uidēs gregem suum quotidie Lupi escam fie= ri, ac minui, oues & capras congregans, longa eas ora= tione hortatus est, ne uellent lupum formidare, quum es= sent numero plures, & cornibus, quibus Lupus careret, insuper armatæ. Sed uellent unaniniter, & auxilio mu= tuo se se ab illius impetu & furore defendere, promittens se quoque eis non defuturum. Illæ hac oratione animatæ promittunt, iurantq; se nequaquam Lupo cessuras. Quū autem paulo post Lupus aduentare nunciaretur, tanto ti= more affectæ sunt, ut nullis pastoris uerbis possent à fu= ga cohiberi. Tunc pastor secum, Impossibile est, inquit, mutari posse naturam.

Fabula indicat, homines natura ignauos ac meticulo= os, nō solum conspectu, sed etiam hostium fama terrori, nullaq; ducis oratione ad uirtutem accendi.

men prouocante.

28

**A**Per Asinum ad certamen prouocans, sperabat se uiactorem fore, quod longiores acutioresq; sibi, quam aduersario dentes essent. Sed quum Asino propinquasset, ferratis pedibus percussus, cecidit semimortuus. Paulopost ad se reuersus: Non istinc me lædi, inquit, credebam.

Fabula indicat, uirum prudentem omnia explorare debere, unde ab aduersario possit offendiri.

## D E V I R O Q V I V X O R I S E O V V M

peperisse dixerat.

29

**V**Ir quidam experiri uolens, an uxor commissa tege ret. Uxor inquit magnum portentum, & silentio dignum, mihi hac nocte contigit, (cum illa enim cubans hoc dicebat) quod enarrarem, si à te non efferri arbitratur. Verum non audeo, quia mulieres rimarum plenas, & hac illac perfluentes audio. Cui uxor, nōdum me pernosti mi uir, qui ex aliarum ingenij me iudicas. Potius mortem mihi paterer inferri, quam aliquid contra tuā uoluntatem efferrē, idq; iureiurando cœpit affirmare. Tunc maritus, quasi uerbis illius fidem haberet, peperi, inquit, hoc ouum (dormitum enim proficiens ouum secum attulcrat) Sed caue si me ames, ne cui hoc dicas. Tute enim nosti quanto dedecori mihi esset, si ex uiro gallina factus dicerer. Mulieri tarde admodū nox discedere uisa est. Vix ergo aurora rutilante, commatrem cōueniens narrat maritum duo oua peperisse. Illa uero alteri mulieri cōpatrē suum tria oua enixū esse. Quid multis moror? Antequam sol occideret, per totam urbem uulgatum est hunc hominem

nem

nem ad x l. oua peperisse. Fabula indicat, quæ taceri uolumus, nulli mulieri esse dicenda.

## DE S A C E R D O T E , Q V I T V R D O S

puero suo assandos dederat. 30

**S**acerdos gulæ deditus, decem turdos pingues, ueria infixos, pueru suo assandos dederat, dicens, oportere ab illo omnes ad unum edi, si in cinerem deijceret. Quum paulo post rediisset (fuerat enim ad quedam negotia expedienda profectus) reperit puerū eiulantē. Qui interrogatus, cur fleret, respondit, quia non potuisset nisi nouem comesse, quum in cinerem decidissent, rogareq; ne alium tunc esse cogeretur, quoniā satis superq; satis uenter sibi turgidus esset. Sacerdos irritatus quū pueri amenia, tum quia se cœna priuatum conspiciebat, educto extra limen domus pueru, ostendit ei tres uias, dicens: elige quamuis, hic pernoctaturus non es.

Fabula indicat, amentes seruos domi non habendos.

## D E F I C E D V L A T V R D V M I N F E R =

tiliorem locum ducente. 31

**F**icedula per locum quendam desertum iter faciēs, reperit Turdum labruscæ uuis, & sylvestrium arborum baccis uictitantem: apud quem hospitata, hortata est eum, ut relicto tam sterili & deserto loco, secum pergeret: se enim ducturam eum in regionem, suauissimis uuis, ficiis, & omni pomorum amoenitate refertam. Quum aut Turdus illius consilijs obsecutus, in locū à ficedula prædictū peruenisset, reperit cibos adhuc suauiores, quam illa pmiserat. Sed quū uideret nōnullas aues uisco implicitas, alias laqueis captas, complures retibus irretitas, & mille

insidias ac dolos auibus tensos, uale ficedula dicens, anti= quam in patriam redijt, ubi usque ad decrepitam etatem, absque ullo insidianum metu, uitam tranquille protra= xit. Fabula indicat, longe melius esse tenui, & agresti uictu quiete uiuere, quam lautis & opiparis epulis, inter uitæ discrimina.

## DE VIRO AVARO MORIENTE. 32

**V**ir auarus moriens, quum tunc demum intelligeret, nihil secum laturum, uertit se ad amicos & propin quos, quos præsentes cernebat, dicens : Discite à me, qui omne uitæ tempus struendis opibus incubui, ne nimium studiatis congregare diuitias. Ex tot enim terræ iugeribus, & tam pretiosis uestibus, quas tanto sudore paraui, quinq; pedum fossam, & linteamen unū, quo mortuus te= gar, possebo. Fabula indicat, stultum & miserū esse, tantam coaceruandis opibus operam impendere, quæ ueli mus nolimus breui sunt relinquenda.

## DE GRAMMATICICO DOCENTE

## Asinum.

33

**G**rammaticus quidam gloriabatur adeo in arte sua se excellentem esse ut si digna daretur merces, non modo pueros, uerum etiam asinos docere profiteretur. Princeps audiens hominis temeritatem, interrogat eum, an si quinquaginta ei daret aureos, intra decenniū doce= re Asinum confideret. Respondit uir impudens, nō recu= sare se ab eo interim, si hoc spatio temporis Asinus ille legere & scribere nesciret. Amici hoc audientes admira= bantur, increpabantq; hominem, qui non modo rem ar= duam, atque difficultem, uerum etiam impossibilem facere promi

promisisset, timebantq; ne exacto hoc tempore à principe occideretur: quibus ille respondebat: Ante quām hoc tem-  
pus elabatur, aut Asinus morietur, aut princeps, aut ego.

Fabula indicat, in periculo constitutis moram sæpe auxilio esse solere.

DE LVPO QVI SE RELIGIONI  
addixerat. 34

**L**upus in senium deductus, cum non amplius uenari posset, sese religioni addixit, sumptoq; monachi ha-  
bitu, cibum hostiatim mendicabat. Reprehensus ab alio Lupo, quid uis, inquit, faciam, dentes dciderunt, currere non ualeo, quare aliter uiuere posse diffido. Fabula de= clarat, multos homines religioni sese addicere, quia aliter uitam degere nequeunt.

DE MORIONE CRVCIFIXVM PRO  
Turibulo afferente. 35

**S**acerdotes complures in quoddam templum ad so= lennia celebranda conuenerant, ubi turibulum non erat. Misserunt ergo morionem quendam ad aliud tem= plum propinquum, ut inde turibulum afferret: qui pro= fectus, quum quid esset turibulum nesciret, crucifixum li= gneum, quem ibi forte offendit, humeris tollens attulit sa= cerdotibus, qui ridentes, quum non crucifixum, sed turi= bulum uelle dicarent, At ego, inquit fatuus, nihil ibi hoc magis tribulatum inueni. Fabula indicat, res peragen= das fatuus non committendas.

DE SERPENTE SAXO OPPRESSO. 36

**S**erpens ingenti oppressus saxo, rogauit uirum illac= iter habentem, ut à se onus amoliretur, pollicitus in= gentem

gentem se illi Thesaurum, si hoc faceret, daturum. Quod quum uir mitis fecisset, non modo promissa non soluebat, sed hominem morte dignum esse dicebat. Dum ita contendent, accidit, ut Simius illac transiret, qui iudex & arbiter electus, non possum, inquit, inter uos tantas componere lites, nisi uidero prius quo pacto serpens sub saxo stabat. Quum ergo uir Serpenti saxum imposuisset, inquit Simius, ingratum animal sub saxo relinquendum censeo. Fabula indicat, ingratos homines nullo dignos esse beneficio.

## D E V I R O L A P I D A T O Q V I

resurrexit.

37

**V**IR quidam lapidibus occisus à populo, resurrexit, qui interrogatus à quodam, quid sibi in ea lapidatione molestius fuisset: nihil, inquit, lapide quem quidam iecit, quem mihi amicum esse credebam, quamuis non fuerim illo percussus.

Fabula indicat, mala quæ ab amicis inferuntur, grauiora uideri, quam quæ nobis inferunt inimici.

## D E V V L P E C A P T A E T A' G A L L O

prodita.

38

**V**ulpes rustici laqueis, cuius plurimas gallinas occiderat, capta:rogauit Gallum, à quo solo uisa fuerat, ut aut cultellum, quo laqueum scinderet, sibi afferret, aut hero nihil diceret, quoad dentibus laqueum abrupsisset. Gallus utrumque pollicitus, dominum propere adiens, narrat Vulpem casse detincri: quem clava armatum ad se perdendam uenientem Vulpes conspicata: In felix, inquit, & stulta ego, quæ credidi Gallum mihi fidum

dum fore, cuius tot uxores occideram.

Fabula indicat, ijs, quos insigniter læsimus, nunquam fidendum.

DE VVLPE GALLINAS METV CANIS  
inuadere non audente. 39

**V**ulpes cohortem Gallinarum nocte inuadere non audebat, metu Canis, quem apud eas pernoctare cognouerat. Sed quum eas alio migrasse, ut cum nonnullis alijs gallinis degerent, intellexisset, ubi canis non erat, uoti compotem se fore rata, illuc se conferens, ad unam omnes occidit.

Fabula indicat, melius esse bonum & strenuum uicinum, quam ignuos consanguineos habere propinquos.

DE GALLINAE PVLLO MATRI NON  
obsequente, unde à Miluo raptus est. 40

**G**allina pullos complures habens, uehementer extimescebat, ne sibi à Miluo surriperentur. Vnde saepe eos sub ala uiso miluo congregans, ab inimica alite tutatur. Sed quadam die Miluum ad se accedentem conspiciata, filios conuocauit, qui omnes propere ad uocem matris currentes, salui facti sunt, uno duntaxat excepto, qui matris uoce contempta, dum granum tritici esse cupit, peri aëra curuis unguibus à saeuia aue raptus est.

Fabula indicat, qui parentum imperio non obsequuntur, in maximas calamitates incidere.

DE LVPO IN FOSSAM LAPSO, ET  
vulpe irridente. 41

**L**vum in fossam lupariam delapsum Vulpes conspiciata irridebat, & circum oras & fosse marginem lætabunda

*lætabunda saltitabat, stolidum animal illum appellans, qui hominum fraudes non animaduertisset. Dum sic ergo lasciva gestiret, subsidens terra eam traxit in præceps: quā delabentem Lupus conspicatus, maximum, inquit, nunc mortis meæ solatium ad manes feram, uidēs Vulpem, quæ me irridebat, mecum pereuntem. Fabula indicat, illorum calamitatibus nūquam insultandum, quum in easdem nos quoque incidere possimus.*

## DE LVPO OVES INVADERE VOS

*lente, sed impedito.*

42

**L**upus & Leo contracta inter se amicitia uictum quærabant, quum Lupus audito ouium balatu, confide, inquit, amice, cibus iam aderit. Secutus ergo ouium uocem, quum ad ouile peruenisset, reperit illud optime munitum, & canes prope dormientes. Reuersus igitur ad Leonem, Non placet, inquit mihi, quod in præsentia edamus oves, macilenta admodum enim sunt, si namus eas pinguescere, reddituri, quum fuerint pingues efficiæ.

Fabula eos arguit, qui impediti nequid faciant, se non luisse argumentantur.

## DE VVLTVRE A' CANIBVS CAPTO

*ob prædam non dimissam.*

43

**V**ultures duo cadauer depascentes, duo ingentia carnis frusta absciderant, quæ unguibus per aëra ferre decreuerant, quum subito canibus aduentantibus, alter eorum dimissa sua parte cadaueris, eiulans statim è cassum conspectu procul abiit: Alter prædæ intentus, dum partem suam dimittere cunctatur, à canibus captus est: qui dum se iamiam moriturum uideret: heu, inquit, miserum

miserum & infelicem, qui paruae uoluptatis causa tot uite uoluptates amittam. Fabula indicat, nimiam acquirendi cupiditatem saepenumero auaris attulisse perniciem.

## D E O L I T O R E Q V I T A L P A M

occidere uolebat.

44

**O**Litor Talpam capiens, eam interimere uolebat. Cui illa: ne occidas, inquit, mi here me famulam tuam, tam pulchra pelle coniectam, & hortulos tuos gratis fodientem. Non me, respondit olitor, his blandulis delinies uerbis, quum me inuito hortulos meos, ut dicis, fodens, herbas omnes, ut te ipsam pascaris, radicitus eruas, & me ad inopiam redigas. Fabula indicat, in cunctis rebus uoluntatem hominum esse spectandam.

## D E V I R O D I V I T E I L L I T E R A T O

& inope docto.

45

**V**IR quidam diues, sed illiteratus, uirum doctum, sed inopem deridebat, quod ipse sua industria multas diuitias congregasset, quum ille qui tanta doctrina pollebat, maxima inopia premeretur. Cui ille: nil mirum, quum tu opibus coaceruandis, ego uero doctrinæ comparande, quæ longe diuitijs præstat, incubuerim. Hinc inter diuitem & literatum orta contentio, utrum doctrina, an gaza præstantior esset: componi non poterat, quum uterque multos fautores haberet, sed plures diues. Tandem hoc pacto compertum est, doctrinam gaza præstantiorem esse. Discordijs ciuilibus ambo solum mutare compulsi, quum nihil secum è suis fortunæ bonis ferre potuissent, in aliam urbem se contulerunt: ubi uir literatus magna ad docendū mercede conductus, in magno pretio & honore

et honore habebatur. Qui uero diues fuerat, panem hostiatis petere coactus inopia:confessus est, se sua opinione deceptum. Fabula indicat, fortunæ bona, quoniā huc et illuc transeunt, ab animi bonis, quæ propria et perpetua sunt, longe superari.

## DE VVLPE CAPTA A' CANE DVM

se mortuam simulat.

46

**V**ulpes simulans se defunctā, ut aues ad se, tanquam ad cadauer accedentes, interciperet, luto oblita in quodam agro resupina iacebat expectans cornices, coruos, et huiusmodi rapaces uolucres, quas deuoraret, quum superueniens canis, eam mordicus captam cœpit dentibus lacerare. Quod illa animaduertens, digna, inquit, patior: nam dum fraudibus aues capere studeo, ab alio ipsa capta sum.

Fabula indicat, qui alijs insidias moliuntur, moleste ferre non debere quod ipsi quoque ab alijs capiuntur.

## DE VRSO Q VI UXORI OC V=

lum eruit.

47

**V**rus dum forte cum uxore rixaretur, oculum illi eruit. Sed postea pœnitēs, tanto dolore affectus est, ut unguis sibi mordicus præcideret. Deinde quū inter loquendum diceret, præ suo in Ursam amore, se proprijs armis exuisse: Quid inquit uxor istud luscæ mihi nunc profest? Ante quam oculum mihi erueres istud faciendū fuit.

Fabula indicat, post illatas iniurias seram esse pœnitiam, quum facta infecta fieri non possint.

## DE LEONE IRATO CONTRA

ceruum: lætum morte leænæ.

48

Leo

**L**eo omnes quadrupedes ad defunctæ uxoris exequias honestandas inuitarat. Cunctis igitur alijs mortem reginæ ineffabili dolore prosequetibus, solus ceruus, cui illa filios eripuerat, expers doloris, nullas lachrymas emittebat. Quod Leo percipiens, accersitum ad se cœrum, ut illum perimeret, interrogat, Cur non cum alijs reginæ mortem fleat. Cui ille fecisset, inquit, nisi me hoc facere prohibuisset. Aduenienti enim mihi, felix eius anima ad elisias sedes proficiscens apparuit, dicens, eius discessum non lugendum, quum ad amoena uireta fortunatorum nemorum, sedesq; beatas proficeretur. Hæc leo audiens lætatus est, ceruoq; ueniam dedit. Fabula indicat, uiri prudentis officium esse, interdū fingere, et sese à potentium furore honesta excusatione tutari.

## DE PATERFAMILIAS SVCCENSE

sente Cani ob Gallinas raptas.

49

**P**aterfamilias oblitus haram, in qua Gallinæ pernoctabant, claudere: quum mane surrexisset, reperit omnes à Vulpe occisas, et ablatas esse. Indignatus igitur in Canē, tanquam malum rerū suarum custodē, multis illum afficiebat plagis. Cui ille: si tu, inquit, cui gallinæ oua et pullos pariebant, in occludendo ostio negligens fuisse: quid mirū, si ego alto sopore oppressus, Vulpē uenientē nō sensi: qui nulla ex illis emolumenta percipiebam.

Fabula indicat, haud unquam sperandum diligentem fore familiam, cuius paterfamilias negligens fuerit.

## DE DELECTORE MILITVM. 50

**D**ELECTOR quidā missus à duce suo ad milites deligendos, qui rebus bellicis magis idonei uideretur: inter ceteros

ceteros quendam eligere uolebat procerā statura & qui aspectu ipso prae se ferebat strenuum bellatorem. Tum ille, falleris inquit, o delector: Non sum enim is qui uideor.

Fabula indicat, ex ipso corporis habitu homines non esse iudicandos.

## DE VVLPE GALLINAM INCV

bantem occidere uolente.

51

**V**ulpes rustici cuiusdam domum ingressa, reperit in nido Gallinam ouis incubantem, quæ eam rogabat dicens: Ne me obsecro in præsentia occidas macilentam. Expecta paululum, dum pulli mihi nascantur, quos ut tenebolas absque dentium dolore esse poteris. Tunc Vulpes: non essem, inquit, inter Vulpes numeranda, si nunc esu-riēs, spe pullorum, qui nondum nati sunt, paratum omit-terem cibum. Dentes ualidos gero, qui quamlibet durissi-mam carnem molere consueuerunt: Hæc dicens, gallinam deuorauit. Fabula indicat, eū amentem esse, qui incerta spe maiorum rerum, præsentes omittit.

## DE CANE Q VI SOCIETATEM CVM

Afino aduersus Lupum iniuit.

52

**C**anis Molossus cognoscens se Lupo, cum quo ma-gnas exercebat inimicitias, imparem, statuit aliquem sibi socium asciscere, ut mutuo auxilio lupum superaret. Videns autem Afinum Lupo uocaliorem, maiorem, clitel lisq; uelut thorace armatum, magnasq; pilas podice cum magno tonitru emittentem, ratus est eum strenuum esse bellatorem. Quare contracta societate, Lupum ad pugnā prouocauit. Sed ubi ad primum Lupi cōspectum Afinum fugientem uidit, nilq; aliud, quam inconditos clamores, & magnos

¶ magnos uentris crepitus edetem, ipse quoq; fugiens,  
socium in ipsa pugna derseruit pabulum Lupo, uulturi-  
busq; futurum. Fabula indicat, stultos esse, qui homi-  
num uirtutem ex uerborum ampullostate, & corporis  
proceritate dijudicant.

DE LVPO GREGEM AGGRESSO,  
quum ibi duo Canes essent inter se  
pugnantes.

**L**upus ex alta specula contemplatus Canes geminos  
gregis ouium custodes inter se pugnantes, & se se  
mutuis morsibus dilacerantes, spem concepit posse tutò  
oues inuadere. Magno igitur impetu in oues delatus,  
quum unam opidò pinguem rapuisset, concitè fugiebat.  
Canes id conspicati, omissa domestica pugna, Lupum fu-  
gientem assecuti, tantis illum affccere uulneribus, ut uix  
posset euadere. Cum autem mox ab alio Lupo interro-  
garetur, cur solus gregem esset adortus, ubi tam ualidi  
erant propugnatores: domestica, inquit, pugna deceptus  
sum. Fabula indicat, quod inimicitiae externorum, di-  
scordes propinquorum animos recociliare solent.

DE ASINO Q VI OBIENS  
uinum effudit.

**V**ir quidam pauper, cui præter uini dolium, & Asin-  
um nihil erat, filiam unicam cuidam sponsonderat  
adolescenti, paulum nescio quid pollicitus dotis, quam ex  
uini & Asini pretio (constituerat enim hæc uenundare)  
contrahere posse arbitrabatur. Sed sequenti, qua sponsa-  
lia facta sunt, nocte Asinus obiit, & inter moriendum,  
fracto calcibus dolio, uinum effudit.

Fabula indicat, nullam in rebus caducis spem habendam.

DE ARVNDINE NIDVLVM AB  
auicula petente.

55

**A**Rundo ægre ferebat, quum cæteræ non solum arbores, uerum etiam herbæ interdum nidos auium sustinerent, se eo honore priuari. Rogauit ergo auiculam quandam, ut ipsa nidificaret. Cui illa: facerem, inquit, nisi instabilitati tuæ diffiderem. Nolo enim filiorum meorum domum in fundamento tam instabili collocare.

Fabula indicat, res nostras uiris instabilibus minime committendas,

DE PICA CVCVLVM PRO ACCI=  
pitre fugiente.

56

**P**ica inter arborum frondes dilitescentem cuculum conspicata, Accipitrem esse suspicata est. Quare concita fugiebat. Quod nonnullæ aliæ aues, quæ prope aderant, intuitæ, picā irridebāt, quod pro accipitre Cuculum fugeret: quibus illa: malo inquit, à uobis irrideri, quam ab amicis fleri. Fabula indicat, melius esse, inimicis rideendi, quam amicis flendi præbere materiam.

DE SERVO QVI ASINAM HERI  
è rupe deiecit.

57

**S**eruuus cuiusdam agricolæ Asinum domini sui ex alta rupe præcipitem dedit, ne cotidie huc & illuc illum agere cogeretur, mentitusq; est domino, illum sponte sua se deiecisse. Ob hoc dominus seruum compellebat omnia humeris suis ferre, quæ ante Asinus portabat. Quod seruuus nequam animauertens: male, inquit, mihi consului,  
quum

quum innocentem conseruum meum peremi, qui me tanto labore leuabat: iuste nunc plector.

Fabula indicat, insipientes dum mala à se amoliri uolunt, sæpe incidere in grauiora.

## DE PORCO POST MORTEM GRA-

tiam domino referente. 58

**P**orcus criminatus ab ouibus, quod domino, à quo tanta pascebatur diligētia, nullam referret gratiam, quum ipsæ lac, lanam, agnosq; illi præberent: mortuus, inquit, referam: non ab re me nutrit. Fabula indicat, quod nemo absq; spe præmij laborem subit.

## DE MERVLA MILVVM

extimescente. 60

**M**erula suspiciens Miluum magno ambitu aëra cir-  
cinantem, ingentesq; eiulatus edentem, uehemen-  
ter exterrita est. Cui Turdus: ne trepida soror, inquit, tan-  
tos pugnæ apparatus, totq; minas in exiguum murem, aut  
in pullum gallinacium tandem effundet. Cauendum nobis  
est ab accipitre, cuius prius ungues, quam uocem sentire  
solemus.

Fabula indicat, magis quietos & tacitos homines,  
quam minaces & uerbosos extimescendos.

## DE GALLIS INTER SE PV-

gnantibus. 61

**G**alli duo, ut eorum mos est, inter se de ducatu galli-  
narum acerrime certabant. Qui superior in pu-  
gnâ fuerat, alarum plausu, uocisque cantu se uicto-  
rem fuisse significans, uenere & ocio emarcuit.  
Victus autem à conspectu gallinarum profugiens,

cū cornicibus, & pauonibus sese cotidie pugnando exercebat: inferendi, uitandiq; ieius artem ediscebatur: qui ubi se satis instructum uidit, rediens, aduersarium ad pugnam prouocatum, nullo negocio superauit.

Fabula indicat, nihil a quæ mulites eneruare, quam nimium ueneris usum, desuetudinemq; pugnandi.

DE VIRO BENEFICO, QVI IN LATRONES INCIDERAT.

62

**V**ir beneficus, & in cunctos liberalis, peregre profectus, incidit in latrones: qui circumstantes quum eum interimere uellent, exclamauit unus ex eis: Ne interficiatis hunc uirum bonum, & de me benemeritum. Quippe qui me non solum olim benigne suscepit hospitio, uerum etiam ægrotum fuit, medicoq; curandum tradidit. Quibus uerbis moti socij, illum illæsum abire permiserunt.

Fabula indicat, quoad possumus beneficia in cunctos conferenda.

DE CANE QVI OCCIDIT

filium domini.

63

**V**ir quidam diues uenandi studio mirifice deditus, complures canes alebat, quorum unus filium domini mortuus interfecit. Dominus ira percitus, non solum homicidam, merumetiam omnes alios iussit occidi. Tunc ait unus ex eis: Unus peccauit, & cuncti plectimur.

Fabula indicat, unius malignitatem saepe multis obesse.

DE AGRICOLA ICTO AB APE.

63

**A**gricola ictus ab ape, admirabatur, ut ex eodem ore succus tam suavis, & stimulus tanti doloris exiret. Respondit apes: Quò beneficentior sum, eò maiori odio prosequor.

prosequor mihi inferentes iniuriā. Fabula indicat, quō magis homines benefici sunt, eō minus iniurias tolerare.

## DE CAPRA PROHIBITA A CANE

hortum intrare.

64

**C**apra esuriens hortum quendam, ubi uarentia uidebat olera, intrare cupiebat: Sed canis molossus, quem olitor custodem apposuerat, non permittebat, minitans ei mortem si pedem introferre tentaret. Cui capra: Quid, inquit, me esse prohibes, quae tibi nulli sunt usui? Nulla, respondit canis, ratione hoc facio: sed quia ita mūhi insitum est à natura. Fabula exprimit naturam auarorum, qui multis rebus abundant, quibus neque ipsi fruuntur, neq; alios frui patiuntur.

## DE HYDRO RANAM DEVORARE

uolente.

65

**H**ydrus in quadam palude ranam persequebatur, quem quum illa euadere non posset, conuersa dicebat: Ne me deuora hydre, quae nulli unquam nocui. Cui hydrus: Clamor tuus, inquit, minæq; quibus die noctuq; obstrepis, te maleficum animal esse testantur. Quod autem non noceas, impotentia causa est, dentes enim non habes.

Fabula indicat, multis non animum nocendi, sed uires deesse.

## DE IVVENE DVCTVRO UXOREM

rogante amicos ut pro se

orarent.

67

**I**uuenis quidam desponsurus uxorem, quum interrogaretur, an eam uellet: conuertit se ad amicos & propinquos, qui ibi aderant, dicens: Quid ut muti siletis? Cur

**V**ir deum, ut me hodie adiuuet, oratis? Si enim sternutantibus deum adesse precamur, ubi nullum est periculum, quanto nunc magis pro me orare debetis, cui tantum uidetis imminere discrimen.

Fabula indicat, ducentes uxorem maxima adire pericula.

D E V I R O D E C R E P I T O A R B O

res inserente.

68

**V**ir decrepitæ senectutis irridebatur à iuuene quodam, ut delyrus, quod arbores insereret, quarum non esset poma uisurus. Cui senex: Nec tu, inquit, ex ijs, quas nunc inserere paras, fructus fortasse decerpes. Nec mora: Iuuenis ex arbore, quam surculos decerpturnus ascenderat, ruens collum fregit.

Fabula indicat, mortem omni etati esse communem.

D E C L A V D O P R I M V M A C C V B I

tum occupante.

69

**C**laudus quidam ad nuptias inuitatus, in primo discubuit loco. Sed magister conuiuij eum inde detrahēs, in ultimo collocauit, dicens: Sedes nulla datur præter quā sexta trocheo: alludens ad hunc pedem, cui due syllabæ disparates sunt, ut illi pedes erant: & qui in ultima metri heroici locatur sede, ut ille ima cōuiuij parte dignus erat.

Fabula indicat, primos accubitus non occupandos, ne irrideamur inde detracti.

D E V I R O Q VI T H E S A V R V M C O M

patre conscio abdiderat.

70

NB

**V**ir quidam admodum diues, thesaurum in sylua infoderat, nemine præter compatrem, cui plurimum fidebat

fidebat, concio. Sed quū paucis post diebus ad eū uisendū accessisset, reperit effosum, atq; ablatū. Suspiciatus igitur id, quod erat, à compatre sublatū, eum conueniens : uolo, inquit, cōpater mi mille aureos, ubi thesaurū abdidi, adhuc infodere. Cōpater cupiens plura lucrari retulit, repousuitq; thesaurum: quē quū uerus dominus paulo post accedens reperisset, secū domum tulit, cōueniensq; cōpatrem, inquit: fidefrage ne sumas inanē laborem, ut ad thesaurū accedas, amplius enim non inuenies. Fabula indicat, quām facile sit uirum auarum spe pecuniae decipere.

## DE LEONE A' VVLPE EDOCTO VT

posset è uinculis exire.

71

**L**eo comprehensus laqueo, totis uiribus uincula dirūpere conabatur, quo autem maiori conatu laqueum trahebat, eo arctius detinebatur. Vulpes illac iter habēs, cū hoc esset intuita: Non uiribus, inquit, mi rex istinc euades, sed ingenio: Relaxandus enim laqueus, & dissoluendus, nō trahēdus est. Quod quū Leo fecisset, statim soluto laqueo quo erat astrictus, liber euasit. Fabula indicat, ingenium uiribus longe esse præstantius.

## DE PSITTACO OB ARTEM EXPRI-

mendi uerba humana honorato.

72

**P**sittacus in aula regis degēs, interrogabatur à ceteris auibus, quid ita in magno haberetur honore? Quibus ille: quia, inquit, exprimendi humanas uoces artē edoctus sum. Fabula nos admonet, ut bonas & liberales ediscamus artes, si uolumus ubiq; clari honorabilesq; haberi.

## DE PHILOSOPHO CYNICO QVI PER-

cussori suo argentum dedit numam.

73

**P**hilosophus Cynicæ sectæ in iurgio colapho percus-  
sus, non solum commotus non est, uerum etiam per-  
cussorem argenteo nummo donauit. Quod quum omnes  
qui aderant admirarentur, dicerentq; eum dignum iterū  
cœdi: nescitis nunc, inquit, quid egerim: Scietis autem po-  
stea, Haud longo post tempore percussor ille uolens quen-  
dam alium cœdere, (sperabat enim aliquid fortasse lucra-  
ri) letale uulnus accepit. Mortem igitur sibi imminere sen-  
tiens: Quanto melius, inquit, mihi fuisset colapho à Cyne-  
co repercuti, quam nummo etiam aureo donari.

Fabula indicat, delinquentibus impunitatem peccandi  
potius, quam pœnam interdum nocuisse.

DE BOVE CORNU A' DEO

petente.

74

**F**os ægre ferebat uires inermes sibi à natura datas,  
soniam armis carebat, quæ uiribus potiora puta-  
bat. Rogauit ergo Iouē, ut sibi cornua concedere digna-  
retur. Quod quum impetrasset, statim uoti sui eum cœ-  
pit pœnitere. Nam quum inermis liber esset, à nemineq;  
capi posset, natis cornibus laqueo comprehensus ad aran-  
dum ducebatur, & immensos labores subire cogebatur.

Fabula indicat, nihil à deo petendum, nisi quod ille no-  
bis profuturum intelligit.

DE SENE A' FILIO EIECTVS A' DOMO

qui duo linteæ petiuit.

75

**V**ir quidam decrepitæ senectutis, domo eiectus à fi-  
lio, in xenodochio degebat. Conspicatus autem fi-  
lium illac iter habentem, cum rogauit, ut saltem duo lin-  
tea ex rebus suis, quas tanto sudore parauerat, sibi mit-  
teret

teret, qui tandem paternis precibus motus, imperat filio suo puerulo, ut expetita ad aūū linteā ferret. Puer sagax, & tali dignus patre, unum tantum tulit. Increpitus autē à parente, quod non duo, ut iussus erat, attulisset: seruo. inquit, alterum tibi, ut quum decrepitus in xenodochio deges, illud tibi mittam. Fabula indicat, qua mente in parentes sumus, eadem liberos nostros in nos futuros.

## DE P VERO DISCERE NOLENTE. 76

**P**ver osor literarum in ludum literarium à patre de= ductus, nullis magistri blanditijs induci poterat, ut primam Alphabeti proferret literam. Tum præceptor: aperi os, inquit, quod huius literæ exigit enunciatio. Ille uero hiabat, sed absque uoce. Præceptor uidens laborem suum irritum (neque enim puerulum ac nouicium uerbe= randum censebat) iubet cum inter condiscipulos sedere, eos monens, ut illi persuadeant hanc uel saltem literam efferre. Tum condiscipuli pro uirili quisque eum horta= ri, dicentes, Est' ne tantus labor a, dicere? At puer uersu= tus: non est, inquit, arduum dicere a: sed si a, dicerem, uellet ut b discerem & cætera. Non erit ea uis præcepto= ri patriq; ut discam. Fabula indicat, nolentes discere, à nemine posse compelli.

## DE OVE CAPTA A' CANE VOCIFE= rante, quod à Lupo capta non faciebat. 77

**O**vis comprehensa à Cane gregis custode, maximos edebat eiulatus, capta autem à Lupo, nullam emittebat uocem. Interrogata à pastore, cur ita faceret: mole= stius, inquit, mihi est à cane, qui mihi custos & amicus s s esse debet

esse debet, lædi, quām à lupo, quem natura perpetuū mihi  
genuit inimicum. Fabula indicat, grauiores nobis do=  
mesticorum, quām externalorum esse iniurias.

DE PAVONE A' MILITE PENNIS  
spoliato.

78

**P**AUO apud militem, qui galeam multis Struthionis  
pennis ornauerat, gloriabatur se multo pulchriores  
pennas habere, ut' que id uerum esse approharet, caudam  
in gyrum explicuit: Miles illarum pulchritudine illectus,  
auem capiens, eam tanto priuauit ornatu, conumq; galeæ  
insigniuit. Tunc secum PAUO: me miserum & stultum, in=  
quit, qui tam pretiosas res raptori ostendi, quas occultare  
debebam. Fabula indicat, pretiosarum rerū ostentati=  
one multos ad rapinas concitari.

DE TVRDO PER VISCVM

capto.

79

**T**VRDUS uisco captus ab aucupe, se ipsum afflictabat  
dicens, Non tantum mortis dolore excrucior, quan=  
tum quod meæ res me perimunt. Aiunt enim uiscum ex  
turorum stercore procreari. Fabula indicat, homines  
tunc uehementer commoueri, quum rebus suis intereunt.

DE AVARO POMA MARCESCEN

tia comedente.

80

**V**IR auarus plurima pulcherrimaq; poma collegerat,  
qualia in ortis Alcinoi, & Hesperidum fuisse poë=  
tæ fabulantur, quæ ita parcebat, ut nisi corrumpi incipe=  
rent, esse non auderet. Huius filius oppidò liberalis, soda=  
les suos ad pomaria saepe ducebat, dicens: Accipite ex  
his quæ uultis omnia, præter marcescentia: illa enim pa=  
ter meus

ter meus in secunda mensa semper sibi iubet afferri. Huic præcepto illi lubenter obtemperabant. Fabula indicat, homine avaro nihil esse miseriū, qui alijs custodit, quæ ei deus fruenda concessit.

## DE AVARO NIMIS AGROS

custodiente.

81

**V**IR quidam extremæ auaritiae emit prædia admodū feracia, & omni fructiferarum arborum genere referta, quæ priori domino amplissimos fructus reddebant, quamvis immunita essent, & cunctis viatoribus peruia. Ratus igitur nouus dominus, si melius coleret, & diligentius custodiret, uberiores fructus se inde capturum: optime colere cœpit, & densis uepribus ac parietibus clausit, custodesq; diligentes apposuit: uerū post hanc tam diligentem custodiā agri parum fructus illi reddebant. Consultus autem deus unde hoc accidisset, ita respondit: Ipse mali tanti causa es, qui sepibus agros, parietibusq; arctis obstructos undiq; seruas.

Multa dedi quondam, quia multi multa petebant.

Vni seruit ager tibi nunc, cur tanta requiriss?

Fabula indicat, liberali uiro deum multa largiri, quo multorum indigentiae ualeat subuenire.

## DE MALO ARBORE INGENTIA

poma procreante.

82

**M**alus arbor Oleam irridebat, quod exiguae procreasset baccas, quum ipsa ingentia, & quæ uix sui rami ferrent, mala produxisset. Sed uehementi exorto uento quum pomorum onere, tum ui turbinis, & poma fere cuncta ceciderūt, & rami confracti sunt: Olea autem illæsa

illæsa permanxit. Tunc secum malus: quanto, inquit, melius  
us mihi fuisset minores factus edidisse? Fabula indicat,  
nos debere modicis rebus esse contentos, quū amplæ opes,  
& nimia diuinitæ sine ingenti periculo nequeāt possideri.

## DE M V L I E R E A V I R O V E R B E R A T A,

*NB* quæ se mortuam simulabat. 83

**M**ulier quædam à uiro multis uerberibus affecta, se  
mortuam simulabat, quò marito timorem incute=  
ret: retento enim anhelilitu, immobilis resupina iacebat.  
Vir sagax, & mulieris fraudum non ignarus: bestia, in=  
quit, mortua pelle nudanda est: arreptoq; cultro, à pedi=  
bus pellem diripere cœpit. Uxor sentiens quorsum sua ten=  
deret simulatio, pedem retrahens, illico resurrexit.

Fabula indicat, quod uiro prudenti frustra muliebres  
tenduntur insidiæ.

## DE M I L V O E T A C C I P I T R E A P V D

aquilam de præstantia conten=  
dibus. 84

**M**iluus cum Accipitre apud Aquilam de præstantia  
certabat, dicens, ob corporis magnitudinem sese  
illi præferendum. Contra Accipiter, non statuam, sed ui=  
res spectari oportere, dicebat. Tunc aquila: ite, ait, uenad=  
tum, & uter uestrum digniorem mihi attulerit prædam,  
eum præstantiorem iudicabo. Qum autem Miluus exi=  
guum mure, accipiter uero columbam apportasset, inquit  
Aquila, quanto coluba maior est mure, tanto Accipitrem  
Miluo præstantiore esse pronuncio. Fabula indicat, ex  
operum, non corporum magnitudine homines metiēdos.

## DE I N S A N O S A P I E N T I A M V E N D E N T E. 85

Insanus

**I**Nsanus quidam urbes peragrans, alta uoce clamabat, sapientiam se habere uenalem. Cuidam autem oblato argento eam petenti colaphum incusit, longumq; filum dedit, dicens, eris sapiens, si quo usq; hoc filum protenditur, ab insanis & furiosis absurris. Fabula indicat, nullum cum insanis habendum esse commercium.

## DE PORCELLO ET TESTAMENTO

patris.

86

**P**orcillus mortem parentum ingenti clamore deflebat: Sed quum lectis testamenti tabulis, magnum glandis aceruum, multosq; farinæ modios sibi relictos cognouisset, obticuit. Rogatus cur non amplius fleret: farina, inquit, & glandes os mibi occluserunt.

Fabula indicat, amplas hæreditates hæredum dolori facile finem imponere.

## DE OVIBVS IMMODERATE SEGETEM

depascentibus

87

**A**gricola conquerente, quod oues uniuersam segetem depopularentur: Iupiter eis præcepit, ut modeste depascerent. Quæ quum præceptis non obtemperarent, Lupo iniunctum est, ut oues moderate puniret. Sed pastore conquerente, totum ouium gregem à Lupo occisum, Iupiter iratus uenatori imperauit, ut Lupū perimeret. Quod ille impigre est executus.

Fabula indicat, nullum immoderatum esse diuturnū.

## DE LEONE PARTEM PRAEDEAE A'

Lupo petente.

88

**L**upus & Vulpes inita inter se societate uenatum profecti sunt, qui quum ceruum, quem ceperant diuidere

uidere uellent, superueniens Leo tertiam prædæ partem sibi, ut quadrupedum regi deberi dicebat. Lupus uero negabat. Tunc excandescens Leo, iniectis in lupum unguibus, totum eius caput pelle nudatum rubicundum reddidit. Vnde Lupus uix uiuus euasit. Conuersus hinc in Vulpem Leo, tu uero quid dicis? Ego, inquit, mi domine rex non tertiam modo partem, sed totum ceruum tuum esse non inficior. Ecquis, inquit Leo, te ita sapienter docuit respondere? Galerus ait Vulpes ille ruber, quem socio meo Lupo imposuisti. Fabula indicat, melius esse partem interdum concedere, quam totum amittere.

## D E V I R O V X O R E M N O N C O G N O-

scente ut felix euaderet.

89

**V**ir fatuus uxorem ducturus, audiuit à uicino suo, illum futurum in pecoribus fortunatum, qui uxorem post nuptias primis tribus diebus non tangeret. Ut igitur hanc felicitatem consequeretur (erat enim pastor ouium) nocte prima uxorem non attigit, nihilq; magis, quæ eam consecuta est. **V**irgo libidine incensa, quum se hoc & illuc in lecto uolutaret, neq; ullis blanditijs uirum ad opus maritalē posset impellere, tertia nocte maritum nil tale suspicantem, & propterea alto oppressum somno, securi aggressa, duobus ictibus percussit. Quum autem interrogatur, quid eam ad tantum facinus impulisset: infelicitas mea, inquit: existimans magnam mulierum esse infelicitatem uiros stertere, quum fodere debeant. Fabula indicat, uxores non sinendas uirgines permanere.

## D E V I R O S E P E M D E S T R V E N T E

ut inutilem.

90

Vir

**V**ir quidam sepi, qua eius uinca conclusa erat, ut ste= rili conuiciabatur, eamq; ut nullius emolumēti exci sam exuſſerat. Tunc uinea aperta, & pecoribus & homi nibus facta peruia, à cunctis depopulata est. Dominus ui= neæ hoc cōſpicatus se ipsum stultitiae accusabat, quod sepē uuæ suæ custodem tam imprudenter amouisset. Fabula indicat, qui res seruant, non minus facere quamuis ociosi uideantur, quām qui eas suo labore congregarunt.

## DE DAEMONE MORTE DIVITVM

lētante, pauperum uero mœſto. 91

**D**aemon terrarū orbem peragrans (ut eius est mos) animaduertit iuuem quendam parentum morte lētantem: Vnde totus exhilaratus est. Sed ulterius pro= gressus fleuit, quum alium filiū in funere patris mœſtum intueretur. Interrogatus tam diuersorum affectuum cau= ſas. R̄iſus, inquit, filij ex obitu parentum, significat illos diuites esse defunctos, quorum admodum rari noſtras ef= fugiunt manus. Fletus uero, paternæ est ſignum inopiæ. Pauperum autem regnum cœlorum ut plurimum eſſe conſueuit. Fabula indicat, nimias diuitias homines ad in= ferna deducere.

## DE LVPO ESVRIENTE QVI IN

cadauer Bouis inciderat. 92

**L**opus ſenio conſectus, quum amplius uenari non poſ ſet, magna cruciabatur fame, nec aliquem cognatum aut amicū, qui eum cibo iuuaret, poterat inuenire. Dum ergo mœſtus ingentem peragraret ſyluam, in bouis eada uer incidit, quod uix coeperat laniare, quum non ſolum cæteri lupi, uerum etiam hultures, corui, & cornices illuc ſe contuſ

**S**e contulerant, lupum orantes, ut se in amicitiam, & in partem prædæ admitteret. Tunc secum lupus: **Q**uem pa-  
loante fratres & filij negligebant, ecce alienigenæ ani-  
mantes nunch honore prosequuntur, & amicum expetūt.  
**N**on mihi, sed boui hunc exhibent honorem.

Fabula indicat, pauperem cunctis odiosum esse, diui-  
tibus uero ab omnibus honorem exhiberi.

DE VVLPE CAPTA ET RVSTICVM

ut se dimitteret orante.

93

**V**ulpes capta à rustico, cuius quamplurimas gallinas  
occiderat, blandis eum uerbis orabat, ut se dimitte-  
ret, persancte iurans nullum ulterius damnum se illi illa-  
turam. Cui rusticus: ignoscerem, inquit, tibi perlibenter,  
& te incolumē dimitterem, nisi te subdolum & fœdifra-  
gum animal esse cognoscerem. A mortua nullum mihi de-  
trimētum inferri posse certò scio, à uiua uero subdubito.

Fabula indicat, perfidis & fallacibus uiris nullam ad-  
hibendam fidem.

DE PORCO LAETO MORTE

inimici.

94

**P**orcī duo erant cuidam subulco, tam immortale inter  
se odium, & perpetuas inimicitias habentes, ut co-  
tidie sese dentibus lacerarent. **Q**uum autem dominus unū  
ex eis occideret, alter incredibili afficiebatur lætitia, ui-  
dens inimico suo iam iam esse moriendum. Paucis autem  
post diebus, quum ipse quoq; ad necem traheretur, sese  
afflictabat, dicens, heu me infelicem, cur inimici mei cæde  
lætatus sum, quem tam cito eram eodem exitu secuturus?

Fabula indicat, neminem debere ne inimici quidē mor-  
te lætari,

te lætari, quum exploratum sit cunctis esse moriendum.

## DE D A E M O N E U X O R E M

recusante.

95

**D**Acmon defuncta uxore, quam admodum morosam & difficultem habuerat, in perpetuo cœlibatu permanere decreuerat. Ingressus autem quendam hominem, ut inde exiret, nullis adiurationibus ac minis poterat adduci. Tandem exorcista quum omnia prius frustra tētasset, sciens nullum uxore maius esse tormentum, minatus est, nisi egrederetur, se uxorem illi daturum. Tum Dæmon alta uoce clamauit, egredior, egredior : noli me iugalibus vinculis irretire, statimq; exiuit Fabula indicat, difficiili & morosa uxore nihil esse miserius.

## DE MVRIBVS TINTINABVLVM FELI

suspēdere uolentibus.

96

**M**ures in unum conuenientes, consultabant, quo ingenio, qua' ue arte felis insidias possent euitare. Tunc qui cæteros & ætate, & rerum usu anteibat, reperi inquit uiam, quæ nos à tantis periculis incolumes conservabit, si mihi parere uolueritis. Suspendamus collo eius tintinabulum, cuius sonitu uenientem aduersus nos felim sentire possumus. Tunc omnes uoce consona sententiā illius ut saluberrimam laudauerunt, itaq; faciendum esse dixerunt. Surgens autem quidam senior, imperato silentio: Ego quoq; inquit, istam sententiā approbo. Sed quis erit qui collo felis tintinabulum suspēdere audeat. Quum autem omnes hanc prouinciam subterfugerent, irrita sententia fuit. Fabula indicat, multos quæ facienda sunt laudare, sed qui ea facere uelint, paucos reperiri.

t

De milite

DE MILITE TIMENTE INCLVDI  
*in opido obsidendo ob auxilia à  
 longe uentura.*

97

**M**iles quidam prudens inuitatus à commilitonibus suis, ut cuidam Italiæ oppido, quod ad regem Gallorum defecerat, unà cum eis uellet esse præsidio: si prius, inquit, loci dominus oppidum obsidebit, quis nobis suppeditabit auxilium? Tunc illi: rex, inquiunt, Gallorum. Miles tumulum quendam conscendens, ô rex Gallorum, ter alta uoce clamauit. Quum autem nullum sibi redderetur responsum, conuersus ad inuitantes: nolo, inquit, illuc accedere, ubi qui mihi suppetias daturus est, auxilium implorantem non audiat. Cæteri, qui illuc accesserunt, à proprio oppidi domino obseSSI, expugnato oppido, capti & iugulati sunt.

Fabula indicat, stultos & amentes esse, qui se se periculis imprudenter obijciunt.

DE BOBV S SPERANTIBV S PASCERE

qui ad arandum ducti sunt.

98

**B**ubulus stabulum ingressus, boues lætitia exultantes aspexit: interrogauit igitur eos, quænam esset causa letitiæ? Cui illi, speramus, inquiunt, hūc diem absq; labore in lætiſſimis pascuis nos esse ducturos. Quid uos, inquit Bubulus, ut ita credatis induxit? Ita, inquiunt, fore somnia uiimus. Nolite, ait Bubulus, huiusmodi somnio fidem adhibere, quod falsum esse deprehendetis: Ego enim somnia ui uos hodie aratueros: hominū enim somnia quam brutorum ueriora esse consueuerunt.

Fabula indicat, nihil mortalium ſpe esse fallacius

De uiro

DE VIRO QVI SE FELICITATIS

suæ causam, infelicitatis uero fortunam esse dicebat.

99

**V**ir quidam auariciæ deditus, quū audiret, nihil mercatura esse lucrosius, diuenditis paternis bonis, nauigare cœpit, prosperaque usus fortuna, breui maximas diuitias congregauit: interrogatus autem ab amico, quomodo tam paruo temporis curriculo tot opes coaceruasset: mea, inquit, industria. Sed quū non contentus tot ac tantis, quas parauerat diuinijs ditior nauigatione fieri uellet, bis, terque naufragio facto, amissis opibus, ad summam inopiam redactus est. Qui deinde interrogatus quid eum paulo ante tantis rerum omniū copijs affluentem ad tantam paupertatem redegisset: fortuna, respondit. Quod fortuna audiens uehementer indoluit, ingratum eum appellans, qui bonorum se causam, malorum uero uolebat esse fortunā.

Fabula indicat, improbe eos facere, qui felicitatis causam suæ industriæ, aduersitatis autem fortunæ adscribunt.

DE FOEMINA MARITVM OB PULLOS

NB. male seruante uerberante.

100

**F**oemina quedam uirilis animi, maritum meticulo sum et insulsum multis affecerat plagis, quia unum ex pullis gallinaceis, quos abiens ei seruandos reliquerat, milius abstulerat. Quare uxore iterū absente ne quem pullo rum, quibus datus hærebat custos, auis inimica posset eripere uniuersos eodem filo ligatos diligentius custodiebat. Sed quum ex improviso milius adueniens unum unguibus rapiens uellet auferre, omnes pariter per inane portauit. Infelix maritus memor ob unum pullum amissum se

et 2

ab uxore

ab uxore male mulctatum multo grauiora cœpit formidare. Satius ergo mori esse duxit, quam iterum uxoris iram experiri. Ficus quasdam melle & aromatibus optimæ conditas uascolo fictili mulier prudens considerat, marito insulso, cuius gulam timebat, monito, ne quid inde esset, quum præsentaneum uenenum lateret in uascolo. Maritus mori cupiens ficus comedit uniuersas ratus eā optimam moriendi, & uxoris iram euadendi uia esse. Rediens mulier, quū pullos omnes à miluo ereptos esse cognosceret, sumpto ingenti baculo, maritum malum pullorum custodem uerberare decreuerat. Cui insipiens maritus, noli, inquit, uxor me iam iam moriturum uerberare. Omne enim uasculi uenenum comedи, ut errati pœnas luam. Tūc mulier ira in risum uersa marito ignouit, qui pro pullis male seruatis alio pacto ei satisfecit.

Fabula indicat, aduersus insipientes nullum idoneum esse remedium.

F I N I S.

INDEX FABVLARVM AESO  
PI ET ABSTEMII, IVX=  
TA FOLIORVM NV  
MERVM.

<i>Abies</i> & dumus	139
<i>Accipitres</i> inter se inimici quos pacant columbae	246
<i>Accipiter columbam</i> insequens	209
<i>Adolescentes</i> duo	117. 162
<i>Adolescens</i> & catus	118
<i>Adolescens</i> in funere matris canens	231
<i>Adolescens</i> & hirundo	177
<i>Adolescens</i> ex nimio coitu infirmus	244
<i>Aegrotus</i> & medicus	55. 128. 177
<i>Aethiops</i>	77
<i>Anguis</i> & lupus	118. 166
<i>Agricola</i> & canes	59. 122. 160
<i>Agricola</i> & filia eius	51. 119. 161
<i>Agricola</i> militiam & mercaturam affectans	229
<i>Agricola</i> ictus ab ape	276
<i>Agricola</i> & poëta	237
<i>Agricola</i> & pelagus	123. 166
<i>Agricola</i> & fortuna	76
<i>Alcedo</i>	77
<i>Ales</i> & pulli eius	140
<i>Amnis</i> fontem suum conuitijs laceffens	230
<i>Anser</i>	144
<i>Anseres</i> & grues	68. 131

# INDEX

<i>Anguilla cōqueritur qd' magis q̄ serpens infestetur</i>	215
<i>Anus &amp; ancillæ</i>	129
<i>Anus dæmonem accusans</i>	219
<i>Aper &amp; rusticus</i>	143
<i>Aper &amp; asinus</i>	97
<i>Aper &amp; asinus</i>	262
<i>Apes &amp; Iupiter</i>	176
<i>Apiarius</i>	77
<i>Aquila</i>	91
<i>Aquila &amp; coruus</i>	225. 149
<i>Aquila &amp; scabro</i>	149
<i>Aquila præferens se cæteris auibus</i>	253
<i>Aquila &amp; uulpes</i>	247
<i>Aquila &amp; pica</i>	218
<i>Aquila &amp; homo</i>	155
<i>Aquila &amp; cornicula</i>	98
<i>Aquila filios corniculi capiens</i>	239
<i>Aranea &amp; podagra</i>	200
<i>Aranea &amp; hirundo</i>	210
<i>Arbores pulchræ &amp; deformes</i>	213
<i>Aries cum tauro pugnans</i>	238
<i>Arion &amp; delphin</i>	198
<i>Arundo &amp; auicula</i>	274
<i>Asinus moriendo uinum effundens</i>	273
<i>Asinus porco inuidens</i>	259
<i>Asinus &amp; lupus</i>	35. 180
<i>Asinus &amp; equus</i>	38. 119
<i>Asinus &amp; equus</i>	280. 179
<i>Asinus &amp; Iupiter</i>	178
<i>Asinus</i>	215

# INDEX

<i>Afinus</i>	129, 134, 192
<i>Afinus &amp; viatores</i>	190
<i>Afinus &amp; leo</i>	70
<i>Afinus sylvestris</i>	87
<i>Afinus, simia &amp; talpa</i>	215
<i>Afinus ingrato hero seruiens</i>	235
<i>Afinus &amp; scurra</i>	229
<i>Afinus finem laborum non inueniens</i>	233
<i>Afinus ægrotans, quem lupi uisitant</i>	233
<i>Afinus tubicen &amp; lepus tabellarius</i>	246
<i>Afinus leonis pelle indutus</i>	87
<i>Afinus &amp; coruus</i>	88
<i>Afini cum uulpe societas</i>	88
<i>Afinus &amp; uitulus</i>	212
<i>Afinus &amp; ranæ</i>	88
<i>Afini &amp; Iupiter</i>	87
<i>Auarus poma marcescentia comedens</i>	282
<i>Auarus nimis custodiens agros</i>	283
<i>Auceps</i>	61, 120, 168
<i>Auceps &amp; merula</i>	62
<i>Auceps &amp; fringilla</i>	222
<i>Aues &amp; noctua</i>	193
<i>Aues plures reges eligere uolentes</i>	231
<i>Aues &amp; quadrupedes</i>	128
<i>Aues scarabeum timentes</i>	228
<i>Auarus</i>	68
<i>Auarus &amp; inuidus</i>	148
<i>Auriga &amp; rota currus stridens</i>	248

## INDEX

## B

<i>Bos &amp; iuuencis</i>	243
<i>Bos cornua à deo petens</i>	280
<i>Boues &amp; bubulcus</i>	290
<i>Bubo &amp; aquila</i>	256
<i>Butalis &amp; uestertilo</i>	74
<i>Bubulcus</i>	91
<i>Buccinator uel tubicen</i>	220

## C

<i>Calamus &amp; oliua</i>	163
<i>Caluus quidam</i>	64.136
<i>Camelus</i>	69.135
<i>Cancer &amp; uulpes</i>	81
<i>De cancris matre &amp; filio</i>	134
<i>Canis &amp; lanio</i>	34.117
<i>Canis ad coenam uocatus</i>	155
<i>Canis &amp; lupus</i>	170
<i>Canis &amp; umbra</i>	98.171
<i>Canis &amp; herus</i>	221
<i>Canis &amp; asinus</i>	300
<i>Canis uenaticus</i>	305
<i>Canis &amp; gallus</i>	65
<i>Canis &amp; ouis</i>	218
<i>Canis inuidus &amp; Bos</i>	323
<i>Canis &amp; Leo</i>	346
<i>Canis mordax</i>	235
<i>Canis &amp; asinus</i>	253
<i>Canis pluuiam timens, aqua feruenti excoctus</i>	238
<i>Canis filium domini occidens</i>	276
<i>Canis</i>	

# I N D E X

<i>Canis &amp; asinus aduersus lupum</i>	272
<i>Canes urbani uillaticum in sequentes</i>	219
<i>Canis oues domini sui occidens, ab ipso suspenditur</i>	238
<i>Canes duo</i>	80
<i>Capones pingues, &amp; quidam macer campo</i>	212
<i>Capra &amp; canis</i>	277
<i>Carbonarius &amp; fullo</i>	57. 120. 156
<i>Carduelis &amp; puer</i>	223
<i>Cassita &amp; pulli</i>	397
<i>Cassita</i>	67
<i>Castor</i>	61. 169
<i>Catus &amp; gallus</i>	158
<i>Cata &amp; Venus</i>	31. 159
<i>Cera duritiem appetens</i>	228
<i>Ceruus &amp; leo</i>	165
<i>Ceruus &amp; lupus</i>	106
<i>Ceruus</i>	111
<i>Ceruus &amp; boues</i>	114
<i>Ceruus &amp; ouis</i>	106
<i>Cerua</i>	69
<i>Cerua &amp; uitis</i>	70
<i>Cerua &amp; Leo</i>	69
<i>Cicada &amp; formica</i>	132. 144
<i>Citharoedus</i>	81
<i>Cingularis &amp; uulpes</i>	67
<i>Cochleæ</i>	75
<i>Claudus primum accubitum occupans.</i>	278
<i>Cochlea petit ab Ioue ut suam domū ferre poscit</i>	236
<i>t s</i>	<i>Columba</i>

# INDEX

<i>Columba &amp; miluus</i>	103
<i>Columba &amp; pica</i>	245
<i>Columba</i>	89
<i>Columba &amp; cornix</i>	90
<i>Coriarius emēs pellē ursi à uenatore, non dū capti</i>	226
<i>Cornix &amp; coruus</i>	82
<i>Conix &amp; canis</i>	82
<i>Conix &amp; ouis</i>	125
<i>Cornix &amp; urna</i>	145
<i>Coruus ægrotans</i>	171
<i>Coruus &amp; uulpecula</i>	91. 170
<i>Coruus &amp; lupi</i>	195
<i>Coruus &amp; serpens</i>	83
<i>Cucurbita &amp; pinus</i>	194
<i>Cuculus &amp; accipiter</i>	218
<i>Culex &amp; leo</i>	92
<i>Culex sibi cibum &amp; hospitium ab ape petens</i>	146
<i>Cycnus</i>	73
<i>Cycnus in morte cancns comprehensus à ciconia</i>	213
<i>Cynicus philosophus</i>	279
<b>D</b>	
<i>Dæmon uxorem recusans</i>	289
<i>Dæmō morte diuitum latus, pauperū uero moestus</i>	287
<i>Delector militum</i>	271
<i>Diues à fortuna petens, ne plus diuiitarum sibi det</i>	250
<i>Diues quidam &amp; scruius</i>	219
<i>Diuitis filia &amp; mater</i>	90
<i>Duo adolescentes</i>	52
<i>Duo amici &amp; ursus</i>	32, 136, 162
	<i>Duo galli</i>

# INDEX

<i>Duo galli inter se certantes</i>	174
<i>Duo inimici</i>	163
<b>E</b>	
<i>Episcopus sacerdoti ignoscens nummos armatos afferenti</i>	253
<i>Eques calvus</i>	136
<i>Eques &amp; leo</i>	109
<i>Equi duo</i>	222
<i>Equus incultus, sed uelox, quem cæteri irrident</i>	243
<i>Equus &amp; asinus</i>	110
<i>Equus &amp; cervus</i>	116
<i>Erinacius uiperam hospitem ejiciens</i>	236
<b>F</b>	
<i>Faber &amp; canis</i>	167
<i>Felis &amp; murem &amp; caseum comedens</i>	257
<i>Ficedula &amp; turdus</i>	263
<i>Filius hortulani urtica punctus</i>	260
<i>Filius &amp; pater</i>	63
<i>Filius &amp; mater</i>	63
<i>Formica &amp; columba</i>	175
<i>Formica &amp; cicada</i>	132. 144. 188
<i>Formica</i>	35. 127
<i>Fur &amp; canis</i>	104
<i>Fures &amp; gallus</i>	32
<b>G</b>	
<i>Gallus pellem uulpinam fugiens</i>	262
<i>Gallinæ pullus matri non obsequens</i>	267
<i>Galli inter se pugnantes</i>	153
<i>Galli &amp; perdix</i>	36. 275
	<i>Gallus</i>

# INDEX

<i>Gallus &amp; catus</i>	124
<i>Gallina &amp; vulpes</i>	181
<i>Gallus gallinaceus</i>	94
<i>Gallina &amp; hirundo</i>	89
<i>Gallina auripara</i>	92
<i>Glires quercum eruere uolentes</i>	220
<i>Graculus</i>	107
<i>Grammaticus docens asinum</i>	264
<b>H</b>	
<i>Heremita &amp; miles</i>	227
<i>Hydrus &amp; rana</i>	277
<i>Hirundo &amp; aliæ auiculae</i>	102
<i>Hirundo &amp; cornix</i>	74
<i>Hœdus &amp; lupus</i>	81. 106
<i>Hœdus &amp; lupus</i>	129
<i>Homo glorioſus</i>	37
<i>Homo à cane morsus</i>	161
<i>Homo &amp; Apollo</i>	38
<i>Homo &amp; Satyrus</i>	39
<i>Homo &amp; ligneus deus</i>	154
<b>I</b>	
<i>Impossibilia promittens</i>	65
<i>Insanus sapientiam uendens</i>	284
<i>Iupiter &amp; pudor</i>	84
<i>Iupiter &amp; coruus</i>	166
<i>Iupiter &amp; testudo</i>	84
<i>Iupiter &amp; simia</i>	131. 138
<i>Iupiter conuiuium celebrat</i>	186
<i>Iuuenis senis curuitatem irridens</i>	217
<i>Legatus</i>	

## INDEX

## L

<i>Legatus auarus tubicines decipiens</i>	216
<i>Leæna &amp; uulpes</i>	173
<i>Leo &amp; capella</i>	141
<i>Leo &amp; cceruus</i>	270
<i>Leonis lautum conuiuum</i>	257
<i>Leo &amp; lupus</i>	285
<i>Leo &amp; uulpes</i>	279
<i>Leo &amp; rana</i>	127. 171
<i>Leo senex</i>	171
<i>Leo, asinus, &amp; uulpes</i>	172
<i>Leo &amp; taurus</i>	133
<i>Leo &amp; capra</i>	130
<i>Leo &amp; uenator</i>	142
<i>Leo cuiusdam rustici filiam amans</i>	173
<i>Leo &amp; homo</i>	182
<i>Leo &amp; quidam alij</i>	96. 128
<i>Leo &amp; mus</i>	101
<i>Leo &amp; mus</i>	228
<i>Leo senectute confectus</i>	99. 171
<i>Leo &amp; uulpecula</i>	114
<i>Leo porcum sibi socium eligens</i>	245
<i>Leo &amp; ursus</i>	66
<i>Leo &amp; lupus</i>	72
<i>Lepores &amp; ranae</i>	179
<i>Lepores</i>	85. 105
<i>Lepus &amp; testudo</i>	183
<i>Lepus sese uulpi præferens ob pedum uolocitatem</i>	137
<i>Lepus calliditatē, &amp; uulpes celeritatē à Ioue petūt</i>	242
<i>Lignator</i>	

# I N D E X

<i>Lignator quidam</i>	178
<i>Lupus &amp; agnus</i>	94
<i>Lupus suadens histrici ut tela deponat</i>	235
<i>Lupus ouis pelle indutus, qui gregem deuorabat</i>	237
<i>Lupus piscis fluuij, maris regnum affectat</i>	240
<i>Lupus &amp; agnus</i>	174
<i>Lupus &amp; grus</i>	96. 173
<i>Lupus &amp; succula</i>	104
<i>Lupus &amp; uulpes</i>	111
<i>Lupus &amp; canis</i>	21
<i>Lupus &amp; caput pictum</i>	107
<i>Lupus &amp; uulpes</i>	267
<i>Lupus oues inuadere impeditus</i>	268
<i>Lupus qui se religioni addicit</i>	265
<i>Lupus esuriens</i>	287
<i>Lupus gregē aggreditur, dū canes inter serixantur</i>	273
<i>Lupus &amp; ouis</i>	85. 112
<i>Lupus &amp; uetula</i>	92
<i>Luscinia cantum accipitri pro uita pollicens</i>	245
<b>M</b>	
<i>Malus transplantata</i>	126
<i>Malus arbor poma ingentia procreans</i>	283
<i>Maritus &amp; uxor</i>	80
<i>Medicus quidam</i>	168
<i>Membra &amp; uenter</i>	113. 196
<i>Mercurius &amp; Tiresias</i>	79
<i>Mercurius &amp; statuarius</i>	79
<i>Mercurius &amp; futor</i>	84
<i>Merula &amp; miluus</i>	275
	<i>Miles</i>

## INDEX

<i>Miles timens includi in oppido, ob auxilia à longe uentura</i>	190
<i>Miluus, accipiter, &amp; aquila</i>	284
<i>Miluus ægrotus</i>	101
<i>Monedula &amp; columba</i>	48
<i>Monedula</i>	83
<i>Montium partus</i>	104. 195
<i>Morio crucifixum pro turibulo ferens</i>	265
<i>Morsus à cane</i>	60
<i>Mula quædam</i>	167
<i>Mulier &amp; gallina</i>	52, 161, 180
<i>Mulier</i>	73
<i>Mulier &amp; medicus</i>	160
<i>Mulier uenefica</i>	75
<i>Mulier &amp; ancillæ</i>	75
<i>Mulier uirum morientem flens, quā pater cōsulatur</i>	213
<i>Mulier ignem in mariti domum ferens</i>	247
<i>Mulier amatoris discessum flens</i>	214
<i>Mulier quæ pro uiro se mori uelle dicebat</i>	231
<i>Mulier ob turdos uerberata</i>	259
<i>Mulier uerberata se mortuam simulat</i>	284
<i>Mulus &amp; equus</i>	225
<i>Mures felis collo tintinabulum suspendere uolentes</i>	289
<i>Mures &amp; catus</i>	164
<i>Mures &amp; ranæ</i>	93
<i>Mus qui cum fele amicitiam contrahere uolebat</i>	234
<i>Mus liberans miluum</i>	235
<i>Mus urbanus &amp; mus rusticus</i>	97
	Mus in

# INDEX

<i>Mus in cista natus</i>	205
<i>Musca</i>	277
<i>Musca &amp; formica</i>	108
<i>Muscæ</i>	79
<i>Musca quæ quadrigis insidens, puluerem se excitasse dicebat</i>	214
<i>Mustela &amp; mures</i>	126
<b>N</b>	
<i>Nautæ sanctorum auxilium implorantes</i>	215
<i>Noctua &amp; aues</i>	195
<i>Mutrix &amp; lupus</i>	133
<i>Nuci, asino, &amp; mulieri profunt uerbera</i>	233
<b>O</b>	
<i>Olla duæ</i>	136
<i>Olea &amp; cucurbita</i>	255
<i>Olitor &amp; talpa</i>	269
<i>Olitor &amp; canis</i>	79
<i>Opilio &amp; agricolæ</i>	124
<i>Opilio qui lupum inter canes aluerat</i>	260
<i>Ouis pastori conuitiatur</i>	241
<i>Ouis à cane capta uociferatur, à lupo uero capta minime</i>	281
<i>Oues immoderate segetem pascentes</i>	285
<b>P</b>	
<i>Pater filium ad uirtutem frustra hortatur</i>	238
<i>Pardo &amp; uulpecula</i>	146
<i>Pastor &amp; mare</i>	55.185
<i>Pastor &amp; lupus</i>	72
<i>Pastor &amp; oues</i>	90
<b>Panno</b>	

# INDEX

<i>Pastor gregem aduersus lupum hortans</i>	262
<i>Paterfamilias &amp; canis</i>	272
<i>Pauo pennis à milite spoliatus</i>	282
<i>Pauo &amp; monedula</i>	67.126
<i>Pauo &amp; pica</i> 128 <i>Pauo &amp; grus</i> 138	
<i>Pauper deflēs domus ruinā, in qua thesaurū inuenit</i>	255
<i>Pecunia potius ad malos quam ad bonos accedens</i>	256
<i>Pica &amp; cuculus</i>	274
<i>Philomena &amp; accipiter</i>	150
<i>Piscator &amp; cynaris</i>	58
<i>Piscator &amp; pisciculus</i>	132
<i>Piscatores quidam</i>	157.158.190
<i>Piscator quidam</i>	157
<i>Piscator quidam aliis</i>	78
<i>Pisces è sartagine in prunas desilientes</i>	212
<i>Porcus post mortem domino gratias referens</i>	275
<i>Porcus latus inimici morte</i>	288
<i>Porcellus &amp; patris testamentum</i>	285
<i>Porcus &amp; equus</i>	263
<i>Prætor repetundarum damnatus</i>	247
<i>Psittacus admiratur cur maior honor sibi exhibetur alibi, quam in patria</i>	253
<i>Psittacus honoratus</i>	279
<i>Puer discere uolens</i>	281
<i>Puer oues pascens</i>	169
<i>Puer &amp; scorpio</i>	183
<i>Puer &amp; fortuna</i>	164
<i>Puer &amp; fur</i>	142
<i>Puer quidam fur</i>	184

# INDEX

<b>Pulex</b>	187
<b>Pulex &amp; homo</b>	187
<b>Punica &amp; malus arbores</b>	185
<b>Q</b>	
<b>Quercus &amp; arundo</b>	131.138
<b>Quadrupedes societatem aduersus aues cum piscibus ineuntes</b>	216
<b>R</b>	
<b>Rana &amp; uulpes</b>	135.180
<b>Ranæ, &amp; earum rex</b>	102.158
<b>Rana &amp; bos</b>	109
<b>Ranæ duæ</b>	65
<b>Ranæ aliæ duæ</b>	76
<b>Rex &amp; simiæ</b>	189
<b>Rusticus &amp; mus</b>	218
<b>Rusticus &amp; Hercules</b>	144
<b>Rusticus per uocem hœdi ad iuriconsultū admissus</b>	243
<b>Rusticus &amp; fortuna</b>	137
<b>Rusticus &amp; coluber</b>	96
<b>Rusticus &amp; anguis</b>	106
<b>Rusticus &amp; iuuencus</b>	142
<b>Rusticus impetrat ut triticū absque aristis nascatur</b>	209
<b>Rusticus amnem transiturus</b>	210
<b>S</b>	
<b>Sacerdos qui quinq; moniales prægnantes fecit</b>	252
<b>Sacerdos qui puero turdos dederat assandos</b>	263
<b>Sacerdos &amp; pira</b>	225
<b>Salix &amp; securis</b>	184
<b>Satyrus &amp; uiator</b>	143.192
<b>Scarabeus</b>	

# INDEX

<i>Scarabeus &amp; aquila</i>	192
<i>Scurrat &amp; episcopus</i>	224
<i>Senex mortem uocans</i>	159
<i>Senex mortem differre uolens</i>	247
<i>Senex puellam in uxorem accipiens</i>	217
<i>Senex iuuenem poma sibi surripiente saxis deijciens</i>	244
<i>Senex à filio domo eiectus duo linteas petens</i>	280
<i>Serpens saxo oppressus</i>	265
<i>Serpens &amp; agricola</i>	181
<i>Serpens &amp; cancer</i>	71
<i>Serpens</i>	89
<i>Seruus asinam heri è rupe deijciens</i>	274
<i>Simia &amp; uulpes</i>	165
<i>Simia, &amp; eius proles, siue Iupiter</i>	231, 138
<i>Simia &amp; uulpecula</i>	113
<i>Simia &amp; duo eius nati</i>	187
<i>Simiae &amp; pardalus</i>	192
<i>Simius &amp; Delphis</i>	78
<i>Sol &amp; aquilo</i>	134
<i>Sus &amp; canis</i>	71
<i>Sus &amp; canis</i>	223
<i>Sylua &amp; rusticus</i>	112
<b>T</b>	
<i>Talpa &amp; mater</i>	186
<i>Taurus &amp; leo</i>	139
<i>Taurus &amp; caper</i>	137
<i>Taurus &amp; mus</i>	144
<i>Testudo &amp; aquila</i>	69, 133
<i>Testudo ab aquila sublata in altum</i>	254

# INDEX

<b>Testudo</b> & ranae	220
<b>Thynnus</b> & delphinus	168
<b>Turdus uisco captus</b>	282
<b>Tigris</b> & uulpes	239
<b>Trabs</b> & boues eam trahentes	212
<b>Trabs</b> boum pigritiam increpans	223
<b>Tubicen</b> , siue buccinator	33.167
<b>Turdus amicitiam cum hirundine iniens</b>	218

## V

<b>Vaticinator</b>	61.175
<b>Venator</b> & perdix	183
<b>Vermis</b> & uulpes	91
<b>Vespæ</b> , perdices, & agricola	286
<b>Vespertilio</b> , rubus, & mergus	66
<b>Vespertilio</b> & mustela	86
<b>Viator</b> & Iupiter	62.181
<b>Viatores</b> duo	76
<b>Viatores</b> & sarmenta	86
<b>Vidua</b> & asinus uiridis	239
<b>Vidua</b> operarium suum coniugio sibi copulans	251
<b>Vipera</b> & lima	112
<b>Vir</b> auarus sacculum nummorum alloquens	248
<b>Vir</b> qui ad Cardinalem nuper creatum gratulandi gratia accessit	217
<b>Vir</b> sepem destruens ut inutilem	287
<b>Vir</b> qui se felicitatis suæ causam, infelicitatis uero fortunam dicens	291
<b>Vir</b> beneficus in latrones incidens	276
<b>Vir</b> thesaurum compatre conscio abdens	278
<b>Vir</b> lapidatus	

# I N D E X

<i>Vir lapidatus resurrexit</i>	266
<i>Vir auarus moriens</i>	264
<i>Vir decrepitus arbores inferens</i>	278
<i>Vir mitis, &amp; uicinus maledicus</i>	258
<i>Vir pisciculos sciscitans de morte patris</i>	238
<i>Vir &amp; uxor bigami</i>	227
<i>Vir malignus &amp; dæmon</i>	230
<i>Vir zelotypus qui uxorem dederat custodiendam</i>	232
<i>Vir clysteria recusans</i>	232
<i>Vir inops &amp; infirmus</i>	157
<i>Vir agricola</i>	155
<i>Vir amicos experiri uolens</i>	241
<i>Vir &amp; uxores</i>	188
<i>Vitulus &amp; cerua</i>	176
<i>Vitula &amp; bos</i>	163
<i>Vlmus &amp; Siler</i>	228
<i>Vpupa indigne honorata</i>	224
<i>Vrsus &amp; apes</i>	222
<i>Vir diues illiteratus: &amp; vir pauper sed doctus</i>	269
<i>Vir qui ouum se peperisse uxori dicit</i>	262
<i>Vir experiri uolens uxoris mentem</i>	260
<i>Vir uxorem defunctam deflens</i>	251
<i>Vrsus uxori oculum eruit</i>	270
<i>Vulpes &amp; caper siue tragus</i>	50.150
<i>Vulpes &amp; pardus</i>	50.158.189
<i>Vulpes &amp; leo</i>	56.123.151
<i>Vulpes &amp; caput quoddam</i>	56.154
<i>Vulpes sine cauda</i>	151
<i>Vulpes &amp; rubus</i>	152

# INDEX

<i>Vulpes &amp; crocodilus</i>	153
<i>Vulpes &amp; uenatores</i>	153
<i>Vulpes esuriens</i>	156
<i>Vulpes quædam</i>	182
<i>Vulpes carnes leporis cani laudans</i>	242
<i>Vulpecula &amp; ciconia</i>	107
<i>Vulpecula &amp; mustela</i>	115
<i>Vulpes &amp; aquila</i>	123
<i>Vulpes &amp; feles</i>	189
<i>Vulpes &amp; mulieres gallinam edentes</i>	211
<i>Vulpes</i>	255
<i>Vulpes &amp; rusticus</i>	288
<i>Vulpes, &amp; gallina incubans</i>	272
<i>Vulpes &amp; Gallus</i>	266
<i>Vulpes &amp; canis</i>	267
<i>Vulpes &amp; lupus</i>	257
<i>Vulpes capta à cane</i>	270
<i>Vultur &amp; aliæ aues</i>	130
<i>Vultur &amp; canes</i>	268
<i>Vxorem ducturus rogat amicos ut deū pro se orēt</i>	277
<i>Vxor maritum ob pullos male seruatos uerberans</i>	291
<i>Vxorem non cognoscens ut felix euaderet</i>	286

S E B. G R Y P. G E R M A N V S  
 E X C V D. L V G D V N I  
 M. D. XXXIIII.





